227
G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

1-30

129

D.k.I 171

227 G 30

NKr. 786

fol H 4 ontbreekt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

D. ERASMI

ROTERDA. DE VITANDO PERNITIOSO *libidinoſoq; aſpectu carmen Bucolicũ, lectu digniſſimum, cum Scholijs Alardi Aemſtelredami, cuius ſtudio nunc primum & repertum & æditum eſt.*

Petrus Balenus Poeticæ candidatis.
En damus uobis carmen longe feſtiuiſsimum, ut ſi quod aliud, quod una cum Scholijs, quiſquis iuuenum non legerit, parum munitus aduerſus libidinoſos aſpectus fuerit.

LEYDIS PETRVS BALENVS EXCVDEBAT
An. M. D. XXXVIII. Idibus. Februarijs.
Ad interſigne Solis inaurati.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK 's GRAVENHAGE

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

ALARDVS AEMSTELREDAMVS IACOBO Duuortio iuueni cumprimis Illuſtri. S. D.

EN tibi mi Iacobe, pro Epithalamio iã olim deſtinato, & nuper admodum uerecunde flagitato, Bucolicum carmẽ tuus mittit Alardus, & quidem lectu digniſsimũ, Quo autem lectum, poſsit ab omnibus intelligi, Scholijs quoq́; illuſtrauimus, exercendorum iuniorum cauſa, præter Scholiorum legem (quando huc fortaſſe non prorſus inepte poſſit egloga referri) etiam fuſius explicata theſi ſiue conſultatione, de uitando pernicioſo libidinoſoq́; aſpectu, unde omnis, aut fere omnis uitiorũ colluuies ſcaturit, atq; promanat. Qui & ſi ſemper alias, nũc certe inprimis fugiendus eſt, fugiendus autẽ? immo uero modis omnibus arcendus Siue ꝙ nunq̃; publice priuatimq; fuerint plura muliebria oſtentacula, liberiora ſpectacula, blãdiores illecebræ, laſciuiores Galatæa, ſalaciores ſponſi Penelopes, Siue quod hodieq́; (cur enĩ non utar Hieronymianis uerbis) ingrediuntur expolitæ libidinum uictimæ, et tenuitate ueſtium nudæ impudicis oculis ingrediũtur, His infelix uxor aut lætatur, & perit, aut offẽditur & maritus in iurgia cõcitatur, Hĩc diſcordia ſeminarium repudij. Hinc ꝙ iã nunc pictu

ris nobilitantur atq; adeo inaurātur celebranturq;
propudioſæ Laydes, mãmoſæ Spatalæ, effœminatæ
choreæ naſatorum cordax, laſciui complexus, atq;
pluſq; obſcœna balnea, Huiuſmodi enim nunc dig-
nantur parietibus ac poſtibus ſuis Chriſtiani quidā
ut quæ pro diuorum imaginibus ſuſpiciant. Siue ꝙ
ubiq; plena ſunt omnia publicis pernoboſcijs atq;
proſtibulis, quorū execrabilitas ōnes polluit ciuita
tes. Siue ꝙ nunq̃; fuit pompa faſtuoſior, cultus ſu
perbior, luxus furioſior, libido portentoſior, ut iure
in nos competat illud è triuio: Luxus habet multos,
pudor & ſapientia paucos. Conqueritur hoc ipſum
& Dauid: Superbi, inquit abſconderunt mihi laque
um, funibus mihi tetenderuntt rete, & qua parte
iter agendum eſt mihi poſuerūt offendicula. Cupit
enim quiſq; carnis curam agere ad concupiſcentias,
nec tam lubricum putat quicquid id eſt, eſſe, quā nō
& ſibi licere tantundem. Poſteaq̃; ergo iuxta eum
dem Regum Prophetā, ſuperbia eorum qui deum
oderūt, aſcendit ſemper, nobis quoq; male metuendū
eſt, ne idem nos maneat exitus qui apud Eſaiam re-
fertur: Et dixit dominus, Pro eo ꝙ eleuatæ ſūt filiæ
Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus
oculorum ibant, & plaudebant & ambulabant
& pedibus ſuis compoſito gradu incedebant Decal
uabit dn̄s uerticem filiarum Syon, & crinem earū
nudabit, & pro ornamento erit ignominia, In die
illa auferet dn̄s ornamentum calciamentorum &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

*lunulas & torques & monilia & armillas, & mi=
tras, & diſcriminalia, & periſcelides, & murenulas
& olfactoriola, & inaures, & annulos, & gēmas
in fronte pendētes, & mutatoria, & pallia, & lin=
teamina, & acus, & ſpecula, & ſindones, & uittas,
& theriſtra. Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro
zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, Et
pro faſcia pectorali cilitiū. Bene ualebis amiciſsime
Iacobe, Hoc carmine impertias uelim Pyladen tuū
Iohannem Regium, regaliter ubiq; ſeſe regentem,
a rectaq; ne lubrica quidem ætate deflectentem, Hūc
ſingulariter & miror & diligo, Quid enim illo ſyn
cerius, grauius, modeſtius? Quam peritus ille tum
Græce tū Hebraice, Quantū rerū, quantū exemplo
rū, quantū antiquitatis tenet? O ſingularē eius animi
magnitudinē, que nihil ad oſtentationē, oīa
ad conſcientiā refert, recteq; facti non ex
populi ſermone mercedem, ſed ex
facto petit, Aemſtelredami,
Calendis Februarijs. Anno, XXXVIII.*



In effigiem, D. Eraſmi Rot. per Alardum Aemſtelredamum.

SIc Leydana manus graphice depinxit Eraſmū,
Vt præter uocem uiua ſit effigies.
Dulcia cygneæ quæ ſint modulamina uocis,
Quo condita triplex lingua lepôre fluat.
Qua penſat quicquid morbo, ſenioue minutum eſt,
Plus ſatis é ſcriptis ſunt manifeſta libris.
In quibus audire eſt mentem cum uoce ſonantem.
Et ſpecimen dantem quo fuit ingenio.
Quo candore, quibus ſtudijs, qua præditus arte,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Qua probitate fuit, qua pietate fuit
Addictos ſtudijs qua ſedulitate iuuandi
Ornadiq́; rudem, qua licet arte gregem
Qua tot dexteritate malos prauoſq́; ferendi
Qua uirtute, fide, religione fuit
Quid multis, uni felix dedit omnia Eraſmo
Quæ dare natura, quæue Minerua poteſt.

Ad iuuentutem politioris literaturæ candidatam

Ioannis Beri Amſtelredami

Ενδεκασύλλαβον.

HOs mire lepidos et elegantes
Pubes ingenioſa uolue uerſus,
Ter magnus tibi quos Eraſmus ille
Addictus ſtudijs adhuc prophanis,
Ipſo in flore ſtatim uirentis æui,
Vtens luſerat Hegio magiſtro.
Artis tum ſpecimen dedit futuræ.
Hic flammas Veneris nimis furentes
Deſcribit graphice, ſapis, cauebis.
Telis ne feriat Cupido ſæuis.
At ne quid remorêre lectitando
Non magnis Scholijs quidem ſed aptis,
Ex æquo pius atq́; literatus
Extricat remoras Alardus omneis,

D.ERASMI

ROTERODAMI CARMEN BVCOLICVM.

PAMPHILVS ἔρωσ

PAmphilus inſano Galatææ captus amore
Stridenti tacita ſolus ſub nocte cicuta
Rumpebat longo rutilantia ſidera quæſtu
Quem circum niueæ quondam unica cura capellæ
Errant, & gelidis neglecti in uallibus agni,
Nec ſtabulis egiſſe pecus, nec culmina tecti,
Nec ſera meminit deſerta reuiſere nocte.
Rore procul tantum madida proiectus in herba,
Crudeles querula meditatur arundine flammas
Huc ades O Galatæa mei medicina furoris,
Huc ades, extremum uel uiſito funus amantis,
Pamphilus ecce uocat tuus O Galatæa, peritq;
Et tu flammiuomæ duris in collibus Aetnæ
Mollibus indignum refoues Polyphemon in ulnis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Ach tibi ſetoſi ne candida colla lacerti,
Barba ach ne tenerum tibi conterat hiſpida mentũ.
Huc ades O Galatæa, hic uitrea flumina iuxta
Gramine florigero, uiridi recubabimus umbra.
Pamphile quid ſterili iuuat indulgere labori?
Deſine, non tanto certaße licebit amanti,
Et certaße tamen, quid tum ſi uertice Cyclops
Sidera ſublimi feriat, licet audiat ipſe
Quantuſcunq; nec illi ceßero carmine, ſola
Voce uelit, uelit arguta cecinuße cicuta.
Molle pecus niuei ſunt & mihi uallibus agni.
Corpore dametas, uultu mihi cedit Amyntas.
forte uillis — Non mihi taurinis ceruix riget horrida pilis,
Pectora ſunt nobis candentia, lenia nobis
Ora, quid amplexus, quid amas inſana caninos?
forte ceruix — Pamphile littus aras, crudelibus aſpera cerne
Auribus effuſas refugit Galatæa querelas.
Quid ſperas, ſed & eſto uelit, uetat ille uolentem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Quin morere, & lõgos componito morte dolores.
Extremum hoc Galatæa tui cape munus amantis.
Extremum Galatæa uale, Galatæa ualeto.
Sic ait, & pulſæ referebant carmina rupes.
Omne nemus Galatæa ſonat, ſonat arduus æther.
Tethys interea Tithonis ab æquore coniunx,
Paulatim croceis ſubuecta iugalibus alto,
Iam rareſcentem pellebat ab æthere noctem.
Et iam Phebeæ feruentia ſydera rupis
Culmina uix dubio cœpere rubeſcere ſole,
Cinctus & ecce Damon uiridãti tempora myrto.
Letus agit teneras ad paſcua nota capellas
Damon, paſtorum quo non annoſior alter,
Cui iam depoſitis niteat frons nuda capillis,
Qui iam ter centum cum Neſtore computet annos,
Vna uiro ſeræ requies & cura ſenectæ,
Tortilis hirſuto pendebat fiſtula collo.
Hic ubi rorãti reſupinum Pamphilon herba

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Aſpicit, hijs miſerum dictis compellat amantem

Damon Quenam ſub gelido tenuit Ioue Pamphile cauſa

Teq; pecuſq; tuum, fluitas quia totus, & ecce

Nocturno madet omne pecus ſua uellera rore

Pamphilus Si uacat O Siculûm paſtorum gloria Damon

Vna, tibi noſtros referam moriturus amores.

Cum ſol heſternus medium tranſmenſus Olympum

Vreret igniuomis arentes æſtibus herbas

Atq; ego ne quicq; noceat calor ille capellis,

Formoſi nemoris capto ſitientibus umbram.

Illic forte ſacræ uideo ſub tegmine Lauri

Naiades Aonideſq; ſimul, Driadeſq; puellas

Ducere ſolemnes cantu modulante choræas,

Pan calamo, pulcher cithara ludebat Apollo

Omnis & innumeros agitabat brachia cœtus

Pulſabatq; humiles pedibus ſalientibus herbas

Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.

Ibat formoſis formoſior addita nymphis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Et gracilis toti extabat Galatæa coronæ.
Digna deo facies, ipſo dignus Ioue uultus,
Non illi igniferi Cytherea parens pueri, me
Iudice, non illi certarit pulchra Diana.
Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Germanam quantum Phœben lux aurea Phœbi.
Luciferum roſeo quantum Phœbe aurea uultu.
Cetera quam radians præcellit Lucifer aſtra.
Tam forma ſocias uincit Galatæa puellas.
Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Ceſaries capitis fuluo criſpantior auro,
Vndiq; ceruicem circumuolitabat eburnam.
Ardentes oculi, liquido caro leuior amne.
Candidiorq; niue, ſuperis rutilantior aſtris.
Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Adfuit & medijs puer improbus ille choræis
Nudus membra genaſq; leuiſq; & captus ocellis,
Armatus facibus, leuibuſq; uolatilis alis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Adſuit & medius, medio ſtetit improbus orbe.
Viderunt oculi rapuerunt pectora flammæ.
Hic mihi fulgenti promens ſua tela pharetra,
Flammifera ſtupidũ traiecit arundine pectus.
Pectora traiecit, calidumq́; per oßa cucurrit
Virus & in medias ſerpſit furor ille medullas,
Serpſit & inſuetis caluerunt intima flammis.
Hinc perij atq́; grauis cœpit mihi uita uideri.
Et iam uirgineas me conſpectante choræas,
Ibat ſupremi ſpatia ultima Phœbus Olympi.
Quid facerem? iam tempus erat, quo ſepta capellæ,
Quo repetant paſti præſepia nota iuuencà.
Me dirus retinebat amor, ſequor inuia ſaltus
Perditus & queſtu Galatæam ſector inani,
Et uano clamore uoco, fugit illa uocantem,
Nil lachrymas miſerata meas, nil flexa querelis,
Cautibus Iſmarij's immotior, aſpide ſæua
Durior, aeriæ ſummis in rupibus Aetnæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Immani ſeſe Polyphemi condidit antro.

Hinc perij atq; grauis cœpit mihi uita uideri.

Tum redeo tandem, ſequitur grex triſtis euntem.

Atq; hic cum iam ſpes miſero mihi nulla ſuperſit.

Mortem oro ſuperos, certe aut (qd' gratius eſſet)

Improba permutent Galateæ pectora noſtræ.

FINIS.

IN D. ERASMI ROTERODAMI CARMEN Bucolicum, Alardi Aemſtelredami.

Scholia.

INdolem egregij artificis in Eraſmo Rot. perq̈; adoleſcēte, & adhuc Dauētriæ Alexādro Hegio preceptore utente, ſubmicuiſſe ac ſcintillulis quibuſdā ſeſe prodidiſſe, documento eſſe poterit egloga hec bucolica, in qua ludenda ſubacti ingenij ſui ſpecimē atq; poetices guſtū prebuit, Ecquid ni prebuit uero? Quando poeticē appellamus, non quōcūq; claudere uerſum pedibus, ſed rationem quæ ſermoni dignitatem, grauitatem, iucunditatem, picture lenocīniū ac (ut ita dixerim) diuinitatem atq́; ἐυθουσιασμὸν quendā adiungit, Atquihec facultas nulli contingit, niſi qui pectus omni diſciplinarum genere expleuerit, Siquidem uera poeſis nihil aliud eſt q́; ex oīm diſciplinarum delitijs ac medullis condita placēta, aut (ut melius dicā) ex electiſſimis quibuſq; floſculis compoſitum mellificium, Porro ut apicula ex floſculis ſuccum mellis colligit, cum alij non delectentur niſi colore & odore: Sic philoſophie ſtudioſus & ex Poetis inuenit quod ad bene uiuendū conducat cū alij tantum uoluptate deliniantur. præclare ergo recteq́; Horatius inquit.

Aut prodeſſe uolunt, aut delectare poetæ
Aut ſimul & iucunda & idonea dicere uitæ

Si quiſq; eſt qui utrumq; noſſe concupiſcit, is mihi accuratius expendat uelim carmen hoc in quo (ni fal

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

lor) alluditad uergilianā pharmaceutriā, ė ſecūdo Theocriti idillio mutuatam, id quod præter alia nō parum multa teſtatur uel ipſeuerſus intercalaris:
Viderunt oculi, rapuerunt pectora flammæ.
Theocritus autem ſic habet.
χ ὢσ ἴδον, ὢσ ἐμάνην, ὥσ μεν περί θυμόσ ἰάφθη, Id Vergilius egloga octaua ita reddidit:
Vt uidi, ut perij, ut me malus abſtulit error. Iā uero quia carmen hoc inſcribitur ἔρωσ ideſt amor, par erat titulo reſpondere perſonas quoq;. πάμφιλοσ enim dicitur totus amās, ſiue oībus ex æquo amicus. Verg. in palæmone: malo me Galatæa petit laſciua puella, et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante uideri. ¶ Pamphilus inſano) Verg in Buco: Nūc inſanus amor duri me Martis in armis Tela ĩter media atq; detinet hoſtes. ¶ Stridenti tacita) Vergil. ecloga tertia Non tu in triuijs indocte ſolebas Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmē? ¶ Vel uiſito) γαλάτεια poteſt ĩterpretari lactea ἀπό τοῦ γάλα quod ſonat lac, quod paratum eſt colligere apud Ouidium ex amatoria Polyphemi cantione. Candidior folio niuei Galatæa liguſtri, fuit autē Galatæa filia Nerei ac Doridis, ipſa dicēte apud Ouidium libro. metamor. xiij. At mihi, cui pater eſt Nereus, quam cærula Doris enixa eſt. lege Genealogiā Ioānis Boccatij libro. vij. capit. xvij. ¶ Vel uiſito) Elegāter uſurpat uel pro ſaltem: Plautus. ſi non tangendi uel nobis uidendi procul ſtātibus copia detur, Terentius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

in Phormi. Poſtremo ſi nullo alio pacto, uel fœnore ¶ Et tu flammiuomæ) Aetna mõs eſt ſiciliæ, ab omnibus aut fere omnibus poetis ob igneos globos quos euomit decantatus. Aul. Gellius lib. noct Att. xvij. cap. x. citat uerſus aliquot Vergilianos de Aetna. Et Claudianus itẽ in raptu Proſerpinæ: Aetna giganteos &c. ¶ Polyphemon in ulnis) De polyphemo cyclope ſuauiſſime fabulatur Homerus lib. odiſſeæ. ix. Vergi. lib æne, iij. Ipſum inter pecudes uaſtu ſe mole mouẽtem Paſtorũ poylphemum, & Ouidius libro metamor. xiij. ¶ Pamphile quid ſterili) Rodolphus Agricola libro tertio de Inuent. dial. ca. ij. quot modis a dicente tractẽtur affectus ¶ Corpore dametas) ὁμοιοτέλευτον eſt, hoc eſt, ſimiliter deſinens Vergi. in palæmone: ¶ Non mihi taurinis) Antitheton eſt eorũ, que Pamphilus damnauit in riuali ſuo Polyphemo: Ah tibi ſetoſi, & que ſequũtur ¶ Riget horrida pilis) fortaſſe legendum erit uillis aut simile quippiam, nam pilus priorem corripit, Catullus: Prætor ne faceret pili cohortẽ, Martialis, Quum depilatos chreſte culeos portes. Porro quod legitur apud Horatiũ ſub calcẽ ſatyræ primæ Ne me Criſpini ſcrinia lippi cõpilaſſe putes uerbũ nõ ãplius addã, id uerbi mutuãtur Latini ἀπὸ τοῦ πιλέω Hinc oppilo, expilo, compilo Ouidius lib. Meta. xiiij Expilatq; grauis oculos. ¶ Tethydis interea) In exẽplari nõ autographo quidẽ, utpote hactenus etiam num deſiderato, cum alijs aliquot eclogis

ſed alio,(mihi fortaßealiud quærenti)reperto apud Reynerum Snoyum á Gauda medicum,nuper admodum defunctum,apud quem inter puerilia poematia amplius annos quadraginta delituit,alioqui non dubium quin iam olim recognitum D.Eraſmus ipſe in apertum protuliſſet,ſi quod adoleſcenti exciderat (poſteaquã diu multũq; quæſierit)habere potuiſſet ſcriptum erat ſed mendoſe,Thetydis interea, unde nos ſic reſtituimus:Tethys interea,Fuit autem Tethys uxor Neptuni,Vergilius Georg. i. Teq; ſibi generum Tethys emat omnibus undis.Ouidius lib. faſt.V.Duxerat Oceanus quõdã Titanida Tethim, Fuit & alia Thetys de qua lege Fulgentiũ Placiadẽ lib.iij.in fabula Pelei & Thetidis,& Ouidium lib. Meta.xi. Iupiter æquoreæ Thetidis connubia uitat. ❨Tithonis ab æquore) De Thitono uide Homerũ lib.Iliados.xi.in ipſo ſtatí exordio,& Seruiũ in tertiũ Geor. Illud leuiculum ſed tamẽ indicandũ, hic ꝑ enallagen ſiue ἑτέρωσιν uariatã eße declinationẽ, lege priorem Copiæ comment.capi.xiij.Horatius: Longa Tithonum minuit ſenectus,& Ouidius item in epiſtolis: Iãq; fugatura Tithoni cõiuge noctem Præuius aurore Lucifer ortus erat. ❨Paulatim crocei) Elegans cum primis eſt matutini temporis periphraſis. Sic nõ uno in loco Vergilius:Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras Tithoni croceum linquens aurora cubile.Idẽ egloga octaua: Frigida uix cœlo noctis deceßerat ũbra ❨Subuecta iugalibus)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

id eſt equis. Statius lib. Thebaidos. iij. Soluerat Heſperij deuexo margine ponti Flagrantes ſol pronus equos, Ac mox: Laxant calidis humentia loris pectora, pars meritos uertant ad molle iugales gramen. Ad eundem ferè modum ſcriptum eſt Math. xxi. Ecce rex tuus uenit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis ❡ Et iam phœbeæ) Temporis deſcriptio eſt quam χρονογραφίαν appellant. ❡ Cinctus & ecce Damon) εἰκὼν ſiue imago eſt ❡ Cui iam depoſitis) χαρακτηρισμὸς eſt ſiue effictio ❡ Qui iam trigenios) Nimirum ſic erat in eo, cuius modo meminimus exemplari. Verum uocem hanc, ut multis parum arridentem mutauimus in tercentum ❡ Cum Neſtore) Homerus lib. Iliados ſecũdo. Et Ouidius. xij. Meta. Vixi annos biscentum & nunc tertia uiuitur ætas ❡ Computet annos) Sunt qui putant computare parum eſſe latinum, Iuuenalis tamen alicubi ſic loquitur: Facies tua computat annos Supputare uero magis probatur Ouidio lib. de ponto ij. At reditus iam quiſq; ſuos amat & ſibi quid ſit Vtile ſolliatis ſupputat articulis ❡ Quenam ſub gelido tenuit Ioue) Iupiter Ennio teſte, is eſt Planeta, quẽ Græci uocant aerem, Theocritus in Batto: Iam pluit & claro nunc Iupiter æthere fulget ❡ Cum ſol heſternus) Sane quam appoſita temporis deſcriptio eſt ❡ Sacræ uideo ſub tegmine lauri) Plinis lib. xv. cap. xxx. Idem eandem Apollini ſacram eſſe teſtatur lib. xij. cap. ij. Vide Fulgentium Placiadem in mythologijs in fa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

bula de Lauro ¶ Naiades Aonideſq; ſimul Dryadeſ
q́;) Naiades ,nymphæ ſunt fontiũ ſiue fluminum, Ao
nides dictæ ſũt á fonte Aone in Aonia regione Boetiæ
illis conſecrato, Iuuenalis: Cupidus ſyluarum aptuſq́;
bibendis Fontibus Aonidum: Dryades ſunt Deno=
minatæ a quercubus δρυσ enim apud nos quercus
dicitur ¶ Pan calamo) Hunc deum Arcades uene=
rati ſunt non ſolum ut ſyluarum ,ſed uniuerſæ mate=
riæ Deum, Vnde à Græcis πᾶν q; omne ſignificat,
appellatur ¶ Pulcher cithara ludebat apollo) A=
pollo præter alia epitheta dict⁹ eſt ἀγλαοσ μοςφοσ
Hoc eſt ſplendide formoſus, formoſeq́; ſplendidus ac
pulchre uenuſtus ¶ Viderunt oculi, rapuerunt pecto
ra flammæ) Cum lubricæ ætati omnia etiam tuta ſint
timenda, certe imprimis illi cauendum ab impudico li=
bidinoſoq́; aſpectu, unde ſcatet omnis uitiorum collu=
uies Scripſit enĩ hoc planiſsime Propheta Hieremias
cap .ix. Quia aſcendit mors p feneſtras noſtras ,in=
greſſa eſt domos noſtras diſperdere paruulos deforis
iuuenes de plateis. Teſtatur idem quoq; in Threnis
capit. iij. Oculus meus deprædatus eſt animam meam.
Eiuſdem generis eſt & illud: Nec ſequantur cogitati
ones ſuas & oculos per res uarias fornicantes Nume.
xv. Huic proximum eſt illud: Auerte faciem tuam à
muliere corrupta, & ne circunſpicias ſpeciem alienam.
Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc
concupiſcentia quaſi ignis exardeſat. Eccleſi. ix. Et
ibidem: Virginem ne conſpicias ne forte ſcan=

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

dalizeris in decore eius. Eodem ſpectant & ſequētes parænefes: Ne paſsim uagentur oculi, ſed recta te præcurrant. Prouerb. iiij. Corā cordato eſt ſapiētia, at oculi ſtultorum paſsim uagantur. Prouerbi. xiij. Memento quoniā malus eſt oculus nequā, Nequius oculo quid creatum eſt? Eccl. xxxi Pepigi fœdus cū oculis meis, ut ne cogitarē quidē de uirgine. Iob xxxi Quorſum attinet plura hoc genus conuerrere, cū tota ūdiq; ſcriptura ſcateat huiuſcemodi teſtimonijs. Non ab re fuerit hic referre aliquot paradigmata ſiue exempla, præceptis enim aures fere imbuuntur, exempla docent oculos.

Antiochus tertius quum Dianæ ſacerdotem uidiſſet ſupramodū eleganti forma, continuo ſoluit Epheſo, ueritus ne uis amoris aliquid illū facere cōpelleret, quod fas non eßet. T. Liuius. iij. deca. lib. VI.

Alexāder cum Darij filias haberet captiuas, demiſſis oculis eas ſalutabat, idq; raro, ſibi metuens ab illarū inſigni forma. Apud familiares autem dicere ſolet: Dolores oculorum ſunt Perſicæ puellæ. Item: Turpe eße qui uiros uiciſſent, a mulieribus ſuperari.

C. Sulpitius Gallus uxorem repudiauit, quod aperto capite fuißet foris Lex, inquiens, tibi meos unius præfinit oculos, quibus formam tuam approbes, his ornamēta cōparato, his eſto ſpecioſa: alijs uelle uideri formoſā, in ſuſpitiōe & in crimine hæreat neceße eſt Diogenes animaduertens Olimpyonicem quendam oculos defigere in ſcortū, adeo, ut præteritum capite

reflexo intueretur Ecce inquit, ut aries Martius a puella publica obtorto collo uictus abducitur, Ridiculũ existimabat, certare cum electis uiris, & á uili puella ueluti captum trahi ſine funibus,

Aul. Gellius li, Vi. ca. Viij. Appiõ Græcus homo q̃ πολυίςωρ eſt appellatus facili atq; alacri facũdia fuit, is cum de Alexandri regis laudibus ſcriberet Victi inquit hoſtis uxorẽ faciẽ inclyta mulierẽ uetat in conſpectum ſuum duci, ut eã ne oculis ſuis quidem contingeret.

Valerius Max. li. iiij. de Scipione: Quartũ & uiceſimum annum agens Scipio cũ in Hiſpania, Carthagine oppreſſa maioris Carthaginis capiendæ ſumpſiſſet auſpicia, multoſq; obſides quos in ea urbe Pœni clauſos habuerant, in ſui poteſtatem redegiſſet eximiæ inter eos formæ uirginem ætatis adultæ, & cœlebs & uictor poſtq̃; comperit illuſtri loco inter Celtiberos natam nobiliſſimoq; gentis eius Indibili deſponſatam, accerſitis parentibus et ſponſo inuiolatam tradidit, aurum quoq; quod pro redemptione puellæ allatum erat ſummæ dotis adiecit Qua continentia ac munificentia Indibilis obligatus Celtiberorũ animos Romanis applicando, meritis eius gratiam debitam retulit.

Idem de Pericle lib. eodem Ac ne eiuſdem laudis cõmemorationem externis inuideamus, Pericles Athenienſium princeps, cum Tragœdiarum ſcriptorem Sophoclem in prætura collegam haberet, ac is pub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

lico officio una diſtrictus, pueri ingenui prætereuntis formam impenſioribus uerbis laudaſſet, intemperantiam eius increpitans, dixit. Prætoris non ſolũ manus à pecuniæ lucro, ſed etiam oculos à libidinoſo aſpectu continentes eſſe debere.

Terentius in phormione:

Interea dum ſedemus illuc interuenit
Adoleſcens quidam lachrimans, nos mirarier
Rogamus quid ſit, nunquam æque inquit ac modo
Paupertas mihi onus uiſum eſt, & miſerũ & graue,
Modo quandam uidi uirginem huic uiciniæ
Miſeram, ſuam matrem lamentari mortuam
Sat ſita erat ex aduerſo, neq; illi beneuolens
Neq; notus, neq; cognatus, extra unam aniculam
Quiſquam aderat, qui adiutaret funus, miſertum eſt
Virgo ipſa facie egregia, quid uerbis opus eſt
Commorat omnes nos, ibi continuo Antipho
Voltis ne eamus uiſere? alius cenſeo
Eamus, duc nos ſodes, imus, uenimus,
Vidimus, uirgo pulchra, & quo magis diceres
Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem
Capillus paſſus, nudus pes, ipſa horrida
Lachrimæ, ueſtitus turpis, ut ni uis boni
In ipſa in eſſet forma, hæc formam extinguerent
Ille qui illam amabat fidicinam, tantummodo
Satis inquit ſcita eſt noſter uero? Da. iam ſcio
Amare cœpit. &c.

Idẽ in Enucho: Dũ apparatur, uirgo in cõclaui ſedet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Suſpectãs tabulã quãdã pictã, ubi inerat pictura hæc,
Quo pacto Danae miſiſſe aiũt quõdã in gremiũ ĩbrẽ aureum
Egomet quoq; id ſpectare cœpi, & q̃a cõſimilẽ luſerat
Iam olĩ ille ludũ, ĩpẽdio magis animus gaudebat mihi
Deũ ſeſe in hominẽ conuertiſſe, atq; ꝑ alienas tegulas
Veniſſe clãculũ ꝑ impluuium fucum factum mulieri
At quẽ Deum? qui templa cœli ſumma ſonitu cõcutit
Ego homũcio hoc non facerẽ? ego uero feci ac lubens
Ariſtoteles lib. Ethicorum ſecundo. In uniuerſis autem cauendum eſt maxime a uoluptate, non enim incorrupti iudicamus de ipſa Vt ergo Troianorũ ſenes erga Helenam ſeſe habuerunt: ſic & ad uoluptatem ipſam affectos eſſe in omnibuſq; illorum dicere uocẽ oportet, hoc enim pacto remouentes a nobis ipſam minus peccabimus. Quintilianus.

Homerus li. Iliados tertio: Sedebãt aũt circa Priamũ quos dixi principes, & inter ſe colloquebantur in alta turri, ſimiles cicadis quæ opacis arborum ramis inſidẽtes ſuauẽ illum cãtũ exercẽt, hij uero uadentẽ Helenã in turrin conſpexerũt, alius ad aliũ ſupreſſa uoce dicebat Profecto nũ indignũ eſt Troianos Grecoſq;, tot mala, tãto temporis ſpatio ſuſtinere, Ob hanc faciem, quæ prorſus nõ humana, ſed immortalis cuiuſdã deæ uidetur Ceterũ & ſi tã diuina ſpecie mulier eſt, tamẽ eã ſatius erit ad Penates ſuos remittereq̃; retinere, ne nobis poſtea ſit liberiſq; noſtris cauſa calamitatis Ari
Quintilianus lib. Viij. cap. iiij. Illud quoq; eſt ex relatione ad aliquid, quod non eius rei gratia dictum

uidetur amplificationis genus. Non putant Troiani principes, Graios Troianoſq; propter Helenæ ſpetiẽ tot mala, tanto temporis ſpatio ſuſtinere, quænam igitur illa forma credenda eſt? Non enĩ hoc diũt Paris, qui eam rapuit, nõ iuuenis aliquis, aut unus e uulgo, ſed ſenes, & prudentiſsimi, & Priamo aſsidentes. Verũ & ipſe decẽnij bello exhauſtus, amiſsis tot liberis imminente ſummo diſcrimine, cui faciẽ illã ex qua tot lachrimarũ orgio fluxiſset, inuiſam atq; abominandã eſſe oportebat, & audit hæc, & eam filiã appellans iuxta ſe locat & excuſat etiam, atq; ſibi eſſe malorum cauſam negat.

Nec mihi uidetur in Sympoſio Plato cum Alcibiadẽ confitentem de ſe quid de Socrate pati uoluerit, narrat, ut illum culparet, hæc tradidiſſe, ſed ut Socratis inuictam continentiam oſtenderet quæ corrumpi ſpecioſiſſimi hominis tam obuia uoluptate non poſſet. Verum quid opus hæc ex gentium monumentis repetere, quum Biblia ſacra tam graphice, tamq; copioſe nobis hæc paſſim depinxerit. Principio de Heua. Gñ. iij. Tum de Dina filia Iacob Gñ. xxxiiij. Deinde de hera ſiue dña Ioſeph Gñ. xxxix. Præterea de Dauide contemplante Bethſabee nimiſq; pulchram mulierẽ ſeſe lauantẽ. ij. Reg. x. Poſt hæc de Sampſone Iud. xiiij et de Holoferne Iudith. x Ad extremum de presbiteris Suſannæ Dan. xiij. At quorſum ego uetera conquiro cum mihi liceat uti præſentibus exemplis atq; uiuis, à quorum recẽſione, quia prope quoti

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

die ubiq; contingunt, breuitatis ſtudio ſuperſedemus
Illud haud quaq̃; prætereundum ſilentio, Vt fruſtra
claudũtur portæ ciuitatis, ſi una relinquatur aperta
ꝑ quam hoſtes irrumpant: Ita non ſatis eſt in cæteris
temperatum eſſe, ſi uiſus pateat ꝑnitioſis aſpectibus.
Vt diligentius ſeruanda eſt ea porta, qua uia ſit ad
regiam: Ita cautius ſeruandus eſt uiſus quod maxime
poteſt uel iuuare uel lædere. Sed opereprecium eſt
audire D. Hieronymum libro aduerſus Iouinianũ
ſecũdo. Per quinq̃; ſenſus quaſi ꝑ quaſdam feneſtras,
uitiorum ad animam introitus eſt, Non poteſt ante
Metropolis & Arx mentis capi niſi ꝑ portas eius
irruerit hoſtilis exercitus Horũ perturbationibus aĩa
prægrauatur, & capitur aſpectu, auditu, odoratu, ſa
pore, tactu. Si Circenſibus quiſpiam delectetur: ſi ath
letarum certamine, ſi mobilitate hiſtrionum, ſi for=
mis mulierum, ſplendore gemmarum, ueſtiũ, metal
lorum & cæteris huiuſcemodi, ꝑ oculorum feneſtras
animæ capta libertas eſt: & impletur illud prophe=
ticum: Mors intrauit ꝑ feneſtras ueſtras, Rurſum
auditus uario organorũ cantu, & uocũ inflexionibus
delinitur: & carmine poetarum & comœdiarum mi
morumq̃; urbanitatibus & ſtrophis & quicquid ꝑ
aures introiens uirilitatẽ mentis effœminat. Odoris
autem ſuauitas & diuerſa thymiamata & amomũ,
& cyphi oenanthe, muſcus, & peregrini muris pel
licula, quod diſſolutis & amatoribus cõueniat, nemo
niſi diſſolutus negat, Porro ciborum auiditas quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

auariciæ mater ſit & animum quaſi quibuſdam cō pedibus degrauatum in terra teneat, quis ignorat. Propter breuem gulæ uoluptatem terræ luſtrantur & maria: & ut mulſum uinū pernicioſuſq; cibus fauces noſtras tranſeat, totius uitæ opera deſudamus Tactus autē alienorum corporum & fœminarū ardentior appetitus uicinus inſaniæ eſt. Ob hunc ſenſū cupimus, iraſcimur, geſtimus inuidemus æmulamur ſolliciti ſumus & expleta uoluptate per quandam plenitudinem rurſus accendimur, quærimuſq; facere, quod cum fecerimus iterum pœniteamus. Igitur cum p has portas quaſi quidam pturbationū cunei ad arcē noſtræ mētis intrauerint ubi erit libertas, ubi fortitudo eius, ubi de deo cogitatio maxime cum tactus depingat ſibi etiam preteritas uoluptates: & recordatione uitiorū cogat animam compati: & quodāmodo exercere quod agit.

Idem in pſal. c. xviij. Auerte oculos tuos ne uideant uanitatem, per oculos intelligit quinque ſenſus

Ambroſius in eundem pſal. Cum uideris aliena monilia, aurū, argentū, & concupieris ut extorqueas intrauit mors p feneſtram, claude ergo hanc feneſtrā cum uideris alienæ mulieris pulchritudinem ne mors poſſit intrare.

Gregorius li. moral. xxi. Species formæ cordi ſemel per oculos illigata, uix magni luctaminis manus ſoluit. Idē alicubi: Ne inquit in lubrica cogitatione uerſemur, non debemus intueri quod non licet concu

piſci, ut enim mens in cogitatione ſeruetur à laſciuia uoluptatis ſuæ ſeruādi ſunt & premendi oculi quaſi quidam raptores ad culpam

Ambroſius in Pſalmum Beati immaculati, uerſu Qui timent te uidebunt me. &c. Idem in adhortati one ad uirgines De Ethruſco iuuene Auguſtinus lib. queſt. utriuſq; teſt. c xv. cap.

Auguſtinus, & adducatur. xxxij. q. V. ca. Nec ſolo: Nec dicatis uos animos habere pudicos, ſi habeatis oculos impudicos Quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius. Ambroſius lib. off. primo Adul terium non ſolū facti colluuione ſed etiam aſpectus intentione committitur.

Quid ꝙ adeo cuſtodiendus eſt aſpectus, ut caſtus ne intueri quidem debebat obſcænas picturas, Auguſt. De ciuitate lib. ij. c. Vij. Hinc apud Terentium flagi tioſus adoleſcens ſpectat tabulam quandam pictam in pariete, ubi inerat pictura hæc: Iouen quopacto Danae miſiße aiunt in gremium quondam imbrem aureum, atq; ab hac tanta autoritate adhibet pa trocinium turpitudini ſuæ, cum in ea fictat mutari deum At quem deum inquit? Qui templa cœli ſū ma ſonitu concutit ego homuncio non facerem id: Ego uero illud feci ac lubens.

Ibidem. cap. xij. Et dignum fuit ut, Teren. ueſter fla gitio Iouis Opt. Max. adoleſcentum nequitiam con citaret

Idem. lib. confeſ. i. cap. ultimo: Ita uero non cognoſ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

ceremus uerba hec imbrem aureũ, & fucum, & tẽpla cœli, & alia uerba, quæ in eo loco ſcripta ſunt niſi Terẽ. induceret nequã adoleſcentem proponẽtẽ ſibi Iouẽ ad exemplum ſtupri, dum ſpectat tabulam quandam pictam in pariete ubi inerat pictura hæc. Iouẽ quo pacto Danaæ miſiſſe aiunt in gremium imbrem aureum, fucum factum mulieri, Et uide quomõ ſe concitat ad libidinem quaſi cæleſti magiſterio. At quem deũ inquit? Qui templa cœli ſumma ſonitu concutit, Ego homũcio id non facerẽ? Ego uero illũ ſponte feci ac lubens. Propertius lib. ij.

Quæ manus obſcænas depinxit prima tabellas
Et poſuit caſta turpia uiſa domo
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos
Nequitiæq; ſuæ noluit eſſe rudes

Oſtendi Scyllã in quã complures perierũt, oſtendã & Charybdim periculũ & illo grauiſſimo grauius. Ioannes Chryſoſtomus homilia, xvij. ex ca. Mat. V. Non enim paſſim dixit, qui concupiuerit, poteſt nãq; etiam aliquis inter ſecreta montium reſidens concupiſcere, ſed qui, inquit, uiderit mulierem ad concupiſcendum: id eſt qui concupiſcentiam uidendi curioſitate collegerit, quiq; nullo omnino cogente, quieſcẽti animæ feram ſubito immiſerit Hoc enĩ non iam naturæ eſt, ſed propriæ õnino deſidiæ: quod certe olĩ etiam ueteri lege prohibetur: Noli, inquit addiſcere pulchritudinem alienam, Deinde ne quis diceret: Quid autem, & ſi inſpiciam, nec tamen capiar? Co

ibuit aſpectum, ne huiuſmodi licentia fidens etiam
n peccatum quandoq́; corrueres, Quid autẽ inquis
ĩ uideo ad concupiſcendum, ſed tamen turpe nil ege
ro? Et ſic quidem iam in adulterorum parte nume=
raris. Pronunciauit enim lator legis, nec amplius
liquid huic oportet inquiri Deinde ſemel quidẽ, &
ſecũdo & tertio ſic uidens poſſis animum cõtinere.
Si uero frequẽter id feceris, fornacemq; iſtam ſponte
ſuccẽdens, profecto capieris Nõ enĩ ex natura huma
na lubricus cõſiſtis. Sicut enĩ nos cum gladiũ teneri
uideamus a puero, etiam ſi nondum eum uulneratũ
inde eſſe cernamus, uerberamus tamen ac ſepe minã
tes denunciamus, nequando illum rurſus attingat:
ita etiam deus inuerecundum coercet aſpectum, ne
quãdoq; in ipſam quoq́; incidat actionem Tertullia.
de uirginibus uelandis: Iudicabunt nos Arabiæ fæ
minæ ethnicæ, quæ non caput, ſed faciem quoq; ita
totam tegunt, ut uno oculo liberato contentæ ſint
dimidiam frui lucem, quam totã faciem proſtituere
Mauult fœmina uidere quam uideri.
Amanus Alex. epiſcopus Marci Euangeliſtæ diſci
pulus oculũ ipſe ſibi eruit quod trãſeũtes fœminas
parũ pudice aſpexiſſet. ij. Petri. ij. De Lot, Aſpectu
enim & auditu iuſtus erat. Ibidem Oculos habẽtes
plenos adulterij & qui á peccando ceſſare neſciunt
Sed redeundum nobis ex diuerticulo. Hæc alias fu
ſius agemus, in libello de cuſtodia quinq; ſenſuum
nunc itaq́; quod ſuper eſt perſequamur ¶ Ibat for

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

moſis) Cicero ad Herennium libr. iiij, de imagine ¶Non illi igniferi) Periphraſis eſt Veneris ¶Pulchra Diana) Diana Iouis filia ex Latona matre ob uirginitatis amorem fertur hominũ conſortia fugiſſe, & ut ſe a libidinis æſtu liberaret uenãdo ĩcolebat ſyluas ac montium ſaltus, Vergilius lib, Aen, i.

Exercet Diana choros, quã mille ſequutæ.
Hinc atq; hinc glomerãtur heroades, illa pharetram,
Fert humero gradienſq; deas ſupereminet omneis,

¶Germanam quantum) .i. quantum præcellit Sol Lunam Statius libro. Thebaidos. Octauo. Tempus erat iunctos cum iam ſoror ignea phœbi Sentit equos &c. ¶Quantum Phœbe) Siluius Ital. libro. xVi. Vt Phœbe ſtellas ut fratris lumina Phœben exuperant ¶Viderunt oculi) Muſæus eſt oculus preceps in uia, labitur ĩde Vulnus, & in mentẽ cõiectu fertur ocelli, Michael Verinus Lumina prædantur mentem, pariũtq; ruinam Lumina nequitiæ ſi ſapis obde fores

Iacobus Sannaſarius de Orpheo reſpicienti
Hoc fuit infelix et adhuc heu reſpicis Orpheu
Quod te quod miſeram perdidit Eurydicen?

¶Luciferum roſeo) Plinius lib. ij, cap. Viij. Infra ſolem ambit ingens ſydus appellatum Veneris, alterno meatu uagum Ipſiſq; cognominibus æmulum ſolis & Lune, præueniens quippe & ante matutinum exoriens Luciferi nomẽ accipit, ut ſol alter dũq; maturans contra ab occaſum refulgens nuncupatur ueſper, ut prorogans lucem, uicemq; lucem lunæ reddẽs

iluius Ital. Qualis ubi Oceani renouatus Lucifer un
a Laudatur Veneri, & certat maioribus aſtris Hæc
le, ij. Petri. i. Donec dies illuceſcat, & Lucifer exo*
iatur in cordibus ueſtris. Hinc Fulgentius Pla. lib. ij.
uriferum uocat. Plautus in Amphitrione, ueſperu*
o appellatur ſtella, quæ Grecis Heſperus unde illud.
ωεροσ ὁ κάλλισοσ ἐν ὀυρανῶ ἵσαται ἄστης, .i.
Heſperus in cœlo lucet iucundior ignis. Catullus.
Heſperus q̄ cœlo luces iucundior ignis ¶ Ceſaries
apitis) Vide herennianam rhetoricam de effictione
¶ Candidiorq; niue) Ouidius li. Metamorph. Oſeos
lecimo tertio.

Candidior folio niuei Galatæa liguſtri,
loridior prato, longa procerior alno,
plendidior uitro, tenero laſciuior hœdo,
Leuior aßiduo detritis æquore conchis,
olibus hybernis æſtina gratior umbra,
Nobilior pomis, platano conſpectior alta
Lucidior glacie, matura dulcior uua,
Mollior & cygni plumis & lacte coacto
Et ſi non fugias, riguo formoſior horto

¶ Puer improbus) propertius lib. ij.
Quicunq; ille fuit puerum qui pinxit Amorem
 Nonne putas miras hunc habuiße manus?
Hic primum uidit ſine ſenſu uiuere amantes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Et leuibus curis magna perire bona
Idem non fruſtra uentoſas addidit alas,
Fecit & humano corde uolare Deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in unda
Noſtraq; non ullis permanet aura locis
Et merito hamatis manus eſt armata ſagittis,
Et pharetra ex humero Gnoſia utroq; iacet.
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hoſtem
Nec quiſquam ex illo uulnere ſanus abit
Marullus Tarchaniota.
Quis puer hic? Veneris plenæ quæ cauſa pharetræ
Non bene præuiſus certa quod arma parat:
Cur ſine ueſte deus? Simplex puer odit opertum
Vnde puer? pueros q; facit ipſe ſenes.
Quis pennas humeris dedit? Inconſtantia. Quare
Nulla deo frons eſt? Signa inimica fugit.
Quæ fors eripuit lucem? Immoderata libido.
Cur macies? Vigilis cura, dolorq; facit.
Quis cæcum præit? Ebrietas, ſopor, ocia, luxus.
Qui comites? Rixæ, bella, odia, obprobrium
Qui cælo dignati? Homines. Quæ cauſa coegit?
Mitior autore eſt credita culpa Deo.
Heu curuum genus, & ueri corda inſcia, Quo ius
Faſq;? ſcelus miſeri ſi ſcelere abluimus.
Strozius filius in amorem furem
Dum Veneris puer alueolos furatur Hymett
Furanti digitum cuſpide fixit apis.
Indoluit grauiter, puerilia q; ora rigauit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Fletibus, & matri ſpiaula quæ ſtus ait.
Vnde hæ tantillis uires animantibus: unde
Exili poßunt lædere aculeolo?
Cui dea ſubridens, inquit, non tu quoq; nate
Corpore non magno uulnera magna facis?
Lucianus in dialago qui inſcribitur Cupido. Seneca
in Hippolyto. Plautus in Ciſtellaria. Martialis
in Quintum.
Thaida Quintus amat, quã Thaida? Thaida luſcam
Vnum oculum Thais, non habet ille duos.
Aeneas Siluius ad Carolum:
Vidimus effigiem Laſaui nuper amoris
Quæ nimium metem mouit imago meam. & quæ
ſequuntur   Ex Anacreonte.
Cum puer tento metuendus arcu
Quo gnoſia inſignis q; humerum pharetra
Igne furtiuo mea nil uerentis.
Corda ſubiuit.
Mox & admiſſus teneris medullis
Regnat, in capta uelut arce uictor,
Meq; in aſſuetus adigit rebellem.
Mandere frenos
¶ Pectora traiecit) Anadiploſis eſt ¶ Caliduſq;
per oßa cucurrit) Vergilius li. Ae. viij. Ille repente
Accepit ſolitam flammã notuſq; medullas Intrauit
calor, & calefacta p oßa cucurrit ¶ Ibat ſupremi)
Siluius italicus li. xi. Iamq; diem ad metas defeßus
Phæbus olympo Impellebat equis Similis ueſpertini

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

temporis periphraſis eſt & apud Ouidium in.iiij. Metamor: Iāq; dies exactus erat tempuſq́; ſubibat Quod tu nec tenebras nec poſſes dicere lucem, Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis ¶ Cautibus Iſmarijs Ouidius lib. Meta. xiij.

Sæuior indomitis eadem Galatæa iuuencis
Purior annoſa quercu, fallacior undis
Lentior & ſalicis uirgis, & uitibus albis,
His immobilior ſcopulis, uiolentior amne,
Laudato pauone ſuperbior, acrior igni,
Aſperior tribulis, fœta trucalentior urſa.
Surdior æquoribus, calcato immitior hydro.

Iſmarus mons eſt Thraciæ Seruio teſte in li. Aen. x Inde Iſmarius Ouidius in primo epiſtolarū Dictus es Iſmarijs iſſe pagmē equis ¶ Hīc perij atq́; grauis) Vide elegāter exprimit affectus amore pereuntis, idq́; eo potiſſimū noīe, quod uidit ſine ueſte Dianā ¶ Me Dirus retinebat amor) Vitanda eſt īproba Syrē ut quæ blanditur cauda intrāti morſuq; fatigat tentantē reditū. Hoc nimirū eſt quod ſapiēs ille Hebræus dicit? Stillās fauus eſt ſcorti os, & mollius eſt quā oleum collū eius, uerū poſtrema amara uelut abſynthiū & acuta ceu gladius Claudianus: Velut paſtoris in ora. Cōmotæ glomerantur apes ꝑ dulcia raptu Mella trahit pēnasq́; edūt, & ſpicula tendunt. ¶ Sequitur grex triſtis euntē) Idē amor exitio pecori eſt pecoriſq́; magiſtro ¶ Cū iam ſpes miſero mihi nulla ſuperſit Oui. de reme. amo. Res

age tutus eris Crates The. V. Sauni Amorẽ inquit ſedat fames Sin minus tempus. Eo uero ſi uti nõ ua les, laqueus. Id quidã non ineleganter ſic Phalæcio expreßit Sedat aligerum fames amorẽ. Hoc ſi non ſuperat domabit ætas, Quæ ſi non rapidũ fugabit ignem. Nodatum ſupereſt medela collum. ¶ Im proba permutent) Hora. ode. xxxiij. libi. car. Sic uiſum Veneri Cui placet impares Formas atq; ani mos ſub iuga ahenea Sæuo mittere cum ioco.

Faunus ad nymphas.

Dicite cur noſtros nymphæ fugiatis amores?
Quid Faunus quo ſic deſpiciatur habet?
Cornua ſi mihi ſunt, ſunt & ſua cornua baccho,
Inq; ſinus reuocat Creſſa puella ſuos.
Ignea ſi frons eſt, an non frons ignea Phœbo eſt?
Hoc tamen eſt Clymene facta parente parens
Barba riget ſuffuſa genis, dedit improba ſæpe
Oſcula barbato Deianira uiro.
Intonſo denſoq; tegor præcordia uillo,
Nil ideo Marti eſt Ilia queſta ſuo
Capripedem arguitis, quid claudo turpius? at tu
Nupſiſti claudo Cypria pulchra Deo
Deniq; ſigna meæ pars eſt non bella figuræ,
Exemplum a cœlo quod capiatis habet.
Sed uos nimirum mortalia facta ſecutæ,
Omnis quando auro conciliatur amor
Paſtorum et pecoris tenui cuſtode repulſo,
Queritis a magnis numera magna deis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

¶EGLOGAE PRECEDENTIS AGVMENtum per Alardum Amſtelredamum

NOn ſic ſcorpius improbus timendus,
Vt laſciua, ſalax, & impudica
Vitanda eſt Galatæa, blanda Siren,
Dulci melle litum uenenum amarum,
Citra ligna focoſue fax adurens
Clangoremq́; tubæ cruenta ſtrages
Præſens exitium, caput malorum,
Nimirum mulier parum modeſta,
Inconſtans, uaga, fraudulenta, nequam,
Paßim ſollicitans modo hunc, modo illum,
Quem contaminet, affricetq́; morbum,
Syncerum uitiet, trahatue caſtum.
Vocis mellifluæ ſuauitate
Demulcens rudiuſculos ephœbos
Thermas, templa, forum frequentitantes.
Cuiuis inſidias ubiq́; tendens
Inſultansq; ferocienſq; uictrix.
Blando uipereum uomens ab ore
Virus, quod ſtabulis lupus, quod imbres
Lætis frugibus, & ſatis adultis,
Quod uenti arboribus, quod auſter aruis
Hoc eſt fœmina lubricæ iuuentæ
Quod ſaluo nequeat pudore dici
Flagrans inſatiabili furore
Et uecors animi impotente morbo
Semper prurit et æſtuat calore

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Nunc lenocinijs rudes ineſcans
Nunc dans ſuauia dulciora melle
Hyblæo, et Siculæ liquore cannæ
Nunc et lacteolis trahens papillis
Exertis modo uellicans lacertis
Non raro magicis ſacris adurens,
Et lætalia philtra clam propinans,
Occurrens meretricio decore,
Tota purpureo nitens colore,
Applaudenſq; habitu uenuſtiori.
Stillant labra quidem fauum atq; nectar,
Ceruix lactea, molliuſq; collum
Eſt pluma, Syrium fragrans oliuum.
Affatimq; ſcatens fragrantiarum
At poſtrema nimis quam amara ſemper
Sunt, ceu abſynthium, acutáq; inſtar enſis
Qui cor mille trucidat enecatq;
Vrgentum ſtimulis moleſtiarum.
Ne fallare ſagaciter caueto,
Diſce unde immineat tibi periclum
Proin ſi quid ſapies domi manebis
Aſpectus fugies libidinoſos.
Et nihil melius fuga putabis.
Faterne moneo fideliterq;
Ne me forte putes fuiſſe falſum
Hac te Pamphilus Ecloga docebit.

ALIVD,

Vis tyrocinio ſtatim cauere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Quæ mox inficiunt rudem iuuentam
Aetatem uiridemq́; lubricamq́;
Corrumpunt, uiciant trahunt & afflant
Aſpectus fugito libidinoſos.
Hoc coner ſtudioſiore nixu
Perſuadere tibi, quod inde manat
Cunctarum pelagus moleſtiarum.
Hac quod Pamphilus Ecloga docebit
ALIVD.
Vt belle ualeas, alacriterq́;
Degas, tutus ab omnibus periclis,
Aſpectus fugito libidinoſos.
Hac quod Pamphilus Ecloga docebit,
Qua nil terſius elegantiuſq́;
ALIVD.
Vis pudore pio innocentiaq́;
Tanquam fontibus omnium bonorum
Abundans ſimul undecunq́; plenus
Gratum offerre deo placenſq́; ſacrum.
Aſpectus fugito libidinoſos.
Ex his colluuies ſcatet malorum,
Fel, abſynthia, pœnitudo, amaror
Sardois & amariora ſuccis.
Morbus, pernicies, lues, barathrum
Perſuaſit pietas ut hoc monerem,
Ne fruſtra monuiſſe ſuſpicere
Audi Pamphilon hoc idem docentem

EPITAPHIVM D. ERASMI ROTERODAMI.

Hic hic ſiſte precor gradum uiator,
Hoc ſub marmore clauſus eſt Eraſmus.
Quo cum rara iacent ſepulta dona,
Felix ingenium polita uena,
In dicendo uenus peculiaris,
Conditus ſale ſermo non amaro,
Dulci lingua triplex fluens lepôre,
Pytho flexamina et medulla ſuadæ,
Tum ſolertia rebus in gerendis
Multarum experientiæq; rerum,
Quas longo ſibi comparauit uſu
Mirus candor amabileſq; mores,
Prudens ſimplicitas ubiq; quiduis
Flectens in melius modo ferendum.
Inſignis pietas, probata uita,
Conatuſq; pius. pijs iuuandi
Addictos ſtudijs, et exerendi,
Vitæ dogmata uera Chriſtianæ.
Huc ſpectat ſcopus omnium laborum,
Quos mox à teneris obiuit annis,
Vſque in decrepitam ferè ſenectam
Si tot dotibus auctus atq; tanta
Nactus commoda quanta ſorte nunquam
Cui natura dabit, dabit Minerua
Si conſtans adamantinumq; pectus
Quid quamuis ſolidumq; floridumq;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Manſurum inuiolabile aut perenne
Credas unicus ille quando Phœnix
Nunc heu magnus Eraſmus hic quieſcit,
Luctus perpetuus Theologorum,
Eterni gemitusq́; lachrymeq́;
Cultorum ſtudij politioris.
Quem non triſtem obitu tuo relinquis?
Qui perculſus amore literarum eſt,
Qui puro niueæ decore mentis
Excellis nitiſsimos olores.
Quiq́; multiiuga eruditione
Nec non integritate ſingulari
Nulli cedis habesue comparandum.

IOANNIS CAMPENSIS EPITAPHIVM.

Campēſis penetrans ſanctæ myſteria linguæ
Dauidicos pſalmos fuſius expliauit.
Non ſine laude diu Veneta prælegit in urbe,
Obtinet hinc Romæ multa ſacerdotia.
Louanij ſtatuit uitam finire docendo.
Friburgum ueniens peſte repente perit.
Ne fortaſſe ſenem mutet fortuna ſecunda,
Hunc iuuenem campos miſit in elyſios.
I nunc rara ſtudens hebræis iungito græca,
Mors etiam doctos opprimit atra uiros.

¶ Sequuntur Alardi uaria.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

❡COMPLORATIO SVPER IMMATVRA luctuoſaq; morte Pompei occonis Phriſij, uiri de re pub. Aemſtelredamēſi, pariter et eccleſiaſticæ optime meriti, qui è uiuis exceßit. x. Calen. Decem. Anno. M. CCCCC. XXXVII.

Trimetri.

EN quam breuis, fallaxq́; ſpes mortalium,
Quam fluxa mundi gloria, quam lubrica
Humana uita, qua nihil fugacius
Vt iure & ex re dicatur: Bulla eſt homo.
Aut ſi quid hac re cernere eſt inanius.
Quod plus ſatis probat ille Pompei exitus
Vt luctuoſus, ſic & omnibus grauis.
Ecquis uideri potuit beatior
(Si quis beatus ante mortem ſit tamen)
Pompeius ille quam fuit, ut e diuite
Oriundus illa liberaq́; Friſia,
Vir ſedulus, uir præpotens, uir candidus,
Vir non minore præditus modeſtia
Quam comitate & ſingulari induſtria
Sagax, fidelis, integer atq́; abſtemius
Docte pius pieq́; doctus ac probus,
Præterq́; mores liberales candidum
Mireq́; felix nactus ingenium, domum
Dicas fuiſſe Gratiarum quas uocant.
In quo uidetur quam ſit efficax, potens,
Fœcunda natura et Mineruæ tot datis

Experta donis eſſe, quod uel hinc liquet
Nactus pudicam diuitemq́; coniungem
Multis adauxit, liberis, ac ijs bonis.
Ingente dote traditiſq; nuptui
Se gnarus uni non ſibi natum fore
Quoad licebat profuit uel omnibus
Domi foriſq; ſtrennue negotians
Vbiq; captat quo iuuet pauperculos,
Cadaueroſos atq́; leproſos uiros,
Auruginoſos, phthiſicos, apoplecticos
Ac hernioſos, ſcabidos & languidos.
Quos nulla plures regio quam hæc urbs alit.
Nec non honeſtis deditos ſtudijs leuet
Cui Rodolphum debet orbis Agricolam
Raro redibat e foro domum, niſi
Aut diſtributa pauperi pecunia
Aut deſtitutis auxilio, adiutis ope
Fuliginoſas pauperum uiſens caſas
Pecuniarum maximam uim ab optimis
Quibuſq; matronis, pijs item uiris
Pios in uſus orphanorum & pauperum
Et hinc & illinc congerit precario
Multos per annos ſeruit fideliter
Solidarijs ſine publico diſpendio.
In functionibuſq; diuerſis, quibus
Pleriq; damno alieno amant diteſcere
Satis ille cauit ne quid illiuſmodi
Suſpitionis inde conflaret ſibi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Non modo manus,ſed continet linguam quoq;
Id quod repertu eſt omnium rariſsimum
Sic ueritatis diligens,ut ne ioco
Quidem loquentem perferat mendacium.
Commiſsa cælans ac tegens fideliter
Latere ſemper quod diu latuit ſinit
Quod eruentis ueritas pateat malo
Huiuſq; ſacræ ſemper aut ſemper fere
Aedituus ædis deſtinatus,ilico
Partim ſuis.partim piorum ſumptibus
Donariiſq;,ſic eum,ut nemo magis
Locupletat,ornat,inſtruit,ueſtit,polit
Aras ſacratas,marmoreos templi tholos,
Fabra dolatas aggerens ſtatuas manu
Hoc curat unum,ſeduloq; nititur.
Vt literatos,ut probos habeat uiros
Rudem popellum qui doceant uerbum dei.
Vt priſca redeat religio,pietas,fides
Vt & ſacerdotes ſuæ memores uicis
Pijs ſubinde mitigent liturgijs
Placentq; nobis iure commotum Deum
Sic occupato mors fera inſidias ſtruis
Viridi ſenecta,compoſitis ex ordine
Cunctis,ſacro munitus Euchariſtia
Dei benignitate fretus maxima
Lepide peracta fabula uitæ,ſuos
Complexus omneis,ultimum ingeminat uale
Paucis diebus continenter maximo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Capitis dolore, febribuſq; exæſtuans
Media ſupremum nocte finijt diem
Iſto ſepultus quem uides ſarcophago,
Requiem precatus omnibus fidelibus
Occonis animam quæſo commendes Deo
Et tu tuæ ſic uiuito mortis memor,
Vt tibi ſcias, nolis uelis, iter omnibus
Semel ſtatutum, mox capeſſendum. Vale.

EPITAPHIVM POMPEI OCCONIS PHRISII:

SI felix fauſtumq; graueis finire labores
Vitæ præſertim uiuere quando iuuat.
Gloria ſi ſumma eſt, quoties promiſcua magnos
Turba uiros laudat, fidit, honorat, amat.
Quis neget ablatis fatis ſic eſſe ſecundis
Pompeium, ex uotis omnia quando fluunt?
Omnibus & ſuperat fortunæ dotibus omneis
Corporis ac animæ robore preualidus.
Dum pia, dum locuples, fœcundaq; contigit uxor,
Proles legitimo dum numeroſa thoro.
Dum genus & uires dum florida uernat & æſtas.
Dū ſatis ampla domus, nec minus aucta penus
Dum paßim nutrit quos improba tentat egeſtas,
Dum uiolenta onerat quos manus, exonerat.
Inſtaurat dum templa Dei, uarioq; decorat
Ornatu doctos captat alitq; uiros

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Dum plebs omnis eum ſummo dignatur honore.
Nec ſecus ac patri plaudit & obſequitur.
Dum nullum non munus obit, dum auiq; probatur
Integra ſedulitas, ſedulaq; integritas.
Dum breuiter ſecum reputans ne calculus erret
Singula ſoliatis ſupputat articulis
Ante expectatum mors opprimit, atq; parantem
Multa breui ſtruere, non ſinit extruere.
Ne leuis ambitio perfuſaq; gloria fuco
Neue diu uitæ ſollicitaret amor.
I nunc & rebus nimium confide ſecundis.
Quum certam præſens uix habet hora fidem
Nec quiſquis iuſti metas non attigit æui
Continuo moritur, uixit itemq; male.
Quin potius contra fieri plerumq; uidemus
Tu bene fac uiuas, nec moriere cito.

¶Requieſcat in pace. Amem.

¶EPITAPHION ADAMI A DVNIS HAGENSIS

VT quæ uigent florentq; ſpectatiſſima
Velut liguſtra, lilia & roſaria
Ea ſemper aut ſemper fere celerrime
Marcere cernas atq; defloreſcere
Ad hec, ut arbor protinus ſolet emori
Iam facta præter ſolitum fœcundior

Ita blanda lætaq; & fauens ſupra modum
Fortuna, ſæpe maximo affinis malo eſt
Quod ſubita Adami mors probat Verdunij
Qui tunc abiuit, quando iam ut cum maxime
Suauis eſset uita, cum maturrima
Vigeret ætas, ambo cum ſuperſtites
Eſsent parentes, diuites, probi, pij,
Incolume corpus, ſana mens, incolumes
Senſus, quieta uita, pacificus thorus,
Fœcunda coniunx, aucta multis prolibus
Ingens ſupellex, diuitiæ reconditæ
Faſces, honores, dignitates, ſtemmata,
Primis profecta Hollandiæ Comitibus
Adame totius decus Batauiæ
Fulcere plane candidi tibi dies
Teneros quod annos minime prodegeris
Nugis ineptis, fabulis anilibus,
Lenocinante gaudio, ſed optimum
Nactus magiſtrum, quem refers, Goclenium
Te diſciplinis excolis altiſsimis
Omnibus amate, nemo quantum amabitur
Ob ſingularem comitatem, candidos
Mores, & incredibilem ſolertiam.
Tibi debet Haga cultiores literas
Tibi debet annales ſuos Hollandia
Tibi debet uni plurimum Louanium
Vt cui probos & diuites iuuenes bonis
Mox imbuendos literis ac moribus

Mittunt parentes conſilio impulſi tuo
Vbi repoſuit plurimo cum fœnore
Natura quotquot contulit donaria
Cumulatiore ſoluit uſuram lucro
Patientioriq; animo nunquam fuit
Quam cum laborans calculo, lithiaſi
Et carnioſa (ſic loquuntur) Hernia
Ex ſectione, carne ſubticanea
Miſta lieni, & coalita diaphragmati
Aluo tumente noxijs humoribus
Quos craſſus aer attulit Zelandiæ
Vehementer arſit inguinum doloribus
Cum difficultas ſpiritus, uomitio
Continua febris continenter enecant
Multas agebat gratias ſummo patri
Quod ante mortem debitas penderet
Pœnas inuſtaſq; elueret labeculas
Victus ſupremum congemit ac ſupplicat
Tractamq; hiulcis apprimit crucem labris
Sic & pijs & eximijs uirtutibus
Clariſq; factis uindicat cœlum ſibi

ALIVD.

A Dunis Adamus adhuc florentibus annis
Occidit ingenuo præditus ingenio
Quem docuit multaq; inſignem reddidit arte
Goclenius miro quem exprimit eloquio
Expolit annales Batauorum, plura parantem
Hernia non patitur, mors & acerba uetat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Cui poſt hac animum res eriget, optima quando
Prima rapit celeri mors uiolenta manu?

ALIVD.

Contigit Adamo mox a iuuenilibus annis
Quod ſcio perpaucos obtinuiſſe ſenes
Sedulitas, mores, pietas, moderatio, uirtus
Germanus ueræ candor amicitiæ
Prudens ſimplicitas, caſtiſsima uita, ſubactum
Iudicium, grauitas, conſilium, integritas.
Sic Adamus adhuc iuuenis quoq; Neſtora uincit
Nam uirtus uitam, non mora longa facit.

Exceſsit autem e uiuis. Anno. M.D.XXXVIII.
Calen. Ianuarijs cum, XXXIIII. ætatis
annum attigiſset.

¶Requieſcat in pace. Amen.

¶EPITAPHIVM REYNERI SNOII
Gaudenſis doctoris medicĩ, uiri unde
cunq; literatiſsimi.

Ecquid in omnigenis naturæ dotibus uſq; eſt?
Ingenij præſes quidue Minerua parit?
Quod non ingenio Snoyus, ſtudioq; frequenti
Prendit & abſoluit non ſine iudicio.
Quicquid habent nitidi diuina poemata cultus
Exprimit hoc doctis undiq; carminibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

ſtar apis uarijs ex libris plurima carpſit,
Melleus hinc blando manat ab ore liquor.
uit inurbanum lepido ſeponere dicto
Pluſquam auili præditus ingenio.
eddere perſonæ ſat conuenientia cuiq;,
Et (quod iuſtitiæ eſt) ius dare cuiq; ſuum.
mnia rhetoriæ tenuit præcepta nitoris,
Aſtrorum motus, commeminitq; ſitus.
ouit Atlantiaci metiri pondus Olympi,
Quæq; ſub ambobus tenditur ora polis.
uicquid ab expertis medicis aliqñ repertum eſt,
In numerato habuit, ſi quis habere poteſt.
emo uir hoc medico fuit experientior uno
Et plures medica nemo leuauit ope.
uicquid in hiſtorijs ſacris, iuxtaq; prophanis
Scriptum eſt, exhauſit, calluit, edidicit.
bdita ſcripturæ penetrans miſteria ſacræ,
Obſcurum uerbis explicat omne tribus.
rnandis ſtudijs natus, natuſq; iuuandis
Pauperibus, ſummo quos fouet obſequio.
Lætus uti ſemper uixit, ſic lætus obiuit
Quod bene confidit de bonitate Dei
Vt cinis, ut puluis, terræq; eſt reddita terra
In cœlos redijt ſpiritus unde uenit

Exceßit e uita. Anno. M.D.XXXVII. Calen.
Auguſt. annum agens plus minus ſexageſimũ
Requieſcat in pace. Amen,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Epitaphium Chriſtiani Duuſtij Delfenſis, cano
D. Pancratij Leydenſis. (pe

OPtima ſi tũc mors, quũ uita eſt criminis e
Nullaq́; peccanti ſarcina quando premi
Quis non te Duuſti feliciter eſſe putabit
Extinctum, quando læta iuuenta uiget
Delfica quum tacito reputans incendia corde
Fatali quæ ſunt orta repente malo
Mox præceptorem Leydam comitaris in urbem
Poſthabitis nugis, luſibus, atq́; iocis,
Qui tibi præceptis formauit pectus honeſtis
Expolijtq́; bonis artibus ingenium
Pulchre cæpiſti curuo dignoſcere rectum
Et (quod difficile eſt) reddere ciuiq; decus.
Iactantur tenui deducta poemata filo
Nemo tuæ turbæ quæ meliora canet
Inde pijs matris precibus, lachrymiſq; uocatum
Delfos, peſtifera, mors rapit atra, lue
Fata tibi longæ debebant tempora uitæ
Aſt corrupta uetant uiuere ſecla diu.
Obijt autem. XIIII calẽ. Mart. Anno. M. CCCC
XXXVIII. cum. XV. ætatis annum attigiſſet.

¶ Epitaphium Arnoldi Sandelici Dordraceni
Iuriſperitorum eloquentiſſ, & eloquen-
tium Iuriſperitiſſ.

SIc bonus et ſic iuſtus erat, ſic integer, æquus,
Fidus, & in quouis ſedulus officio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Vt non humanis ſtudijs, non arte magiſtra,
Non uſu (multum qui ualet,) officio
Verum natura conſultus & optimus eßet
Eßet & exaltus non minus eloquio
Sic prudens, ut non ex iure ſcientia ſolum
Sed bonitas etiam nata uidetur ei.
Iuris ciuilis rationē iunxerat æquo
Citra quod leges non bene ſæpe leges
Controuerſa magis ſuſtollere iurgia quærit
Quam multis tempus litibus extrahere.
Publica priuatis præfert compendia lucris
Communiq; bono propria poſt habuit
Et uerbo & facto fuit optima uitæ
Formula, & exemplum præbuit egregium
Pulchræ huic conuenīūt uirtus & ſumma poteſtas
Quæ duo non multum ſæpe coire ſolent
Selectus iudex multis inſeruijt annis
Ceſariſq; diu præfuit officio.
Se prius expendit pareret ne purpura faſtum
Vt ſibi ſic alijs arbiter æquus erat
Pluribus Hagenſis perſpexit Curia rebus
Ingenium felix, expoſitamq; fidem.
Quando uacillabant in religione, fideq;
Dogmatibus ſcioli dedita turba nouis
Semper ab eccleſia ſtabat, ſtandumq; iubebat
Hanc Anabaptiſtas uult & habere fidem
Factio quas texit Sacramentaria technas
Detegit, unguis in hoc ulcere peſtifero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Quorum flagitijs manibus pedibuſq; reſiſtens
Indomitum mira mox domat arte gregem
Multis implicatus curis, multoq; labore
Fractus, & exhauſtus hac requieſcat humo

EPITAPHIUM D. SIMONIS PETRI cognomento Papæ.

Somnus ut eſt õnis mors, ſic quoq; credidit eſſe
Creditæ & hæc fidei dat documenta ſuæ.
Mors trahit, ut reſtat magna cum mole trahenti
Omnibus aggreſſa eſt uiribus attrahere.
Attractumq; ſemel ſubito conuellere quaſſu
Nequicquam tentans ſubſtruit inſidias.
Mordicus arripiens ſellam, cubitumq; ſupinans,
Obdormiturus lumina flectit humi.
Sic colluctatur, ſic ſedibus hæret in iiſdem,
Nec prius abſcedit quam miſere abripitur.
Ventris profluuio tentatus & amplius anno,
Expectata diu uermibus eſca datur.
Quo ſpectata fides, caſtæ cuſtodia mentis,
Verus & ingenuæ candor amicitiæ
Cognomen magnum quo magnificentius eſſet
Mater Terra ſuas ſuppeditauit opes.
Proditur occultum ſaxum, quo priſca ſolebant
Secula magnates contumulare ſuos
Luce ſacra, totus plauſu cum geſtijt orbis
Effertur funus non ſine triſtitia.
Exitus iſte probat non defore præmia factis
Tu benefac uiuas, nec moriere male.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

D. Lamberti Theodorici uigilantiſs. Gertrudēſiũ uirginum præfecti. Epitaphium

Lambertus harum moderator uirginum
Vir permodeſtus, caſtus, atq́; continens.
Virtute morum ſingulari præditus,
Animumq; nactus ingenuum, nihil fuit
Illi ſuaue præter honeſtum & utile.
In proximorum publicum compendium.
Deiq; honorem, gloriam, laudem, ac decus,
Reuerenter, apte, ſerio, ſynceriter
Fideliterq́; quotidie faciens ſacrum
Taxabat omnes qui impie ſacra uenditant
Paucoſq; tantum ob nummulos ſacrificant
Ventrem ſaburrent, farciant aqualiculum
Ter execrando crimine, et offendiculo,
Minime probans tot ſacra mercenaria
Male murmurari, male legi, ſolita undiq;
Sine mente, fructu, commodo, leuamine,
Coarguendos teſte conſcientia,
Merito hos auaros ſacrificos inceſsitat,
Quod in gehennam ſpe lucri ſe merſitant.
Probe ſacris in literis exercitus,
Se conſulenti Chriſtiane conſulit.
Sermone multos, conſilio plures iuuat,
Inopes ſubinde uiſitans & languidos
Miſerans colonos, ſubleuans opifices,
Fauens egenis, largienſq; de ſuo
Iuuabat omnes, maxime tamen orphanos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Quid multa? zelo plenus Euangelico
Non fert abuſus dedecoroſos, neq;
Vanas ſuperſtitiunculas item, quibus
Vbiq; mundus ſic ſatis ſuperfluit
Quæ & ſat grauem magis grauant monaſticen
Paulo quidem quam par fuit, uentroſior
Cætera bonus, frequenter illud dictitans:
Bene creſcit, & ſi non alas Cucurbita.
Alui tumore pectoriſq; angoribus
Diu grauatus, ſingulari numinis
Fauore, decurſo breuis curriculo
Stadioq; uitæ, non parum feliciter
Eripitur hoc é ſeculo, quotidie
Magis ac magis luxu, gula, ſuperbia,
Et factione totius cauſa mali
Ad omne uergenti genus malitiæ
Periculoſum nauigans uitæ ſalum
Salua quietos contigit portus rate.

¶ Alardi Aemſtelredami uaria Epigrãmata.

In peccatricem Euangelicam.

Ecce tibi mulier Phariſæi irrumpit in ædes
Quod ſimul accunbens eſſet Ieſus ibi.
Aſtans à tergo lachrymatur & unguina fundit,
Crinibus extergit quos lauat ante pedes.
Obtutu tenet ora, ſoloq; immobilis hæret
Compreſſis manibus, flet, gemit, atq; dolet.
Suſpenſæq; diu lachrimæ fluxere per ora
Qualiter abiecta de niue manat aqua

cipit eſſari mediaq; in uoce reſiſtit,
Singultu medios impediente ſonos.
x animo quia nemo magis dilexit Ieſum
Nec magis excœpit comiter hoſpitio,
t fixis oculis narrantis ab ore pependit.
Hinc peccata ſimul multa remittit ei.
Quid lachrymaris? habes tota quod mente petiſti
I cum pace fides te tua ſaluat, ait.

In eandem.

Delectata diu, diuq; adhærens
Toto corde deo nihilq; ſecum
Ni cæleſtia cogitans, & orans
Quicquid ſpe ſequitur, ſequensq; credit
Exeſo latitans ſpecu tot annos
Deprendit, fruitur, tenetq; amore.

Expoſtulatio Ieſu Chriſti cum purpuratis, Aſotis atq; Thraſonibus,

AVla mihi ſtabulũ, thalamus præſepia, fenũ
Lectus, & excubitor bos aſinuſq; datur
Nocte intempeſta, patris ſemotus ab agris
Cum ſæuit boreas, cumq; rigeſcāt hyems.
Mille fatiſcenti rimis caſulaq; domoq;
Imo ſpelunca, ſi bene perſpicias
Quando hæc pregnanti ſunt diuerſoria matri
Ac aliud nuſquam ſuppetit hoſpitium.
Sub diuo, medioq; gelu, denſiſq; tenebris
Naſcor, & humanæ nil mihi fertur opis.
Et quiſquam poſt hac ſua iactet ſtemmata, luxum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Aut faſtum titulis debitum, opeſue putet?

¶ Alia cum eiſdem.

Ecce ſuum poſſeſſorem bos noſcit, eiq;
Grauiter inſeruit, quo licet obſequio
Et præſepe ſui domini cognoſcit aſellus
Vt ſimplex animal, ſic & utrumq; rude
Ac modice paſtum ſtipulis, farragine, fœno
Gnauam operam domino nauat ubiq; ſuo.
Natus in hoc, lautiſq; diu nutritus ab eſcis
Agnoſcat, timeat, captet, adoret, amet,
Vt ſeruatori cunctis inſeruiat horis
Altoremq; animo & corpore ſuſpitiat.
Electus populus legis, Moſiſq; peritus
Ille ſuum dominum neſcit, & ille deum.
Ille ſcelus ſceleri cumulat, planeq; proteruit,
Ille nec exhibitum ſupputat obſequium.
Ille reluctatur, ceßat, cane peius & angui
Odit, faſtidit negligit obloquitur.
Et miraris adhuc tanti quæ cauſa tumultus,
Totaq; cur bellis undiq; terra fremit.
Vnde fames, ſimul & peſtis graßantur ubiq;
Ac quibus è ſcatebris hæreſis elicitur.
Ecquis tam cæcus, qui non uidet omne malorum
Agmen, ab hoc riuo fonteq; defluere?

¶ Alia cum Sacramentario

Ecce ſuum reuerens dominum procumbit aſellus
Submittenſq; caput pronus adorat eum.
Bos & humi procumbit anhelo et confouet ore,

Et poſt hac rigido poplite ſtabit homo?
Stabit homo? medio templi dum Chriſtus in altum
Sub ſpecie panis fertur & erigitur.
Autorem, dominum, poſſeſſoremq́; ſalutant,
Bos torpens captat, tardus aſellus amat.
Muta ſacris uideas famulari animantia cunis,
Et fugiunt homines uocis ad obſequium.
Aſpicere eſt domino genua inclinare potenti
Et ueluti ſaxum, ſaxeus hæret homo?
Et ſua commotum trahere ad ſpectacula cœlum,
Nemo tuos geſtus non fugit aſpiciens
Agnoſcunt dominum iumenta, uerentur, adorant,
Ignorant homines deſpiciuntq́; deum.
Quis tibi tūc ſtomachus, qui triſti in corde dolores
Hæc cum Chriſte uides flagitia, atq; taces
Quin ruis, & geminas uultum demittis in ulnas
Maieſtate dei territus atq; tremens?
Affuſuſq́; ſtatim telluri immobilis hæres?
Tantiſper precibus dum tibi corda calent.
Attonituſq́; animi, tantoq; indignus amore,
Plurima iure tibi gratia agenda deo eſt

¶ Hic Deum adora.

CRiſtus adeſt ſpecie panis, ſic ſancta uetuſtas
Credidit, & priſci ſic ſtatuere patres.
Iunge manus manibus, nuda caput, exere frontem,
Curuatis genibus mox uenerare Deum.
Heu ſtupidum mortale genus, quid mente uacillas?
Et dubitabis adhuc ſigna tot aſpiciens?

❧ In ſignum crucifixi.

Horreſcens, & humi depreſſum, milleq; cinctū
Sentibus explicita ſuſpice fronte caput.
Cerne cruentatos oculos, roſeoq; madentes
Sanguine, tum uultus tum ſpeculare genas
Illuuie perfuſa uide, perfuſaq; tabe
Ora labra et cæra pallidiora noua
Conuulſamq; manu uiolenta reſpice barbam
Membra ſimul glacie frigidiora uide
Impactos colaphos, nodoſæ & arundinis ictus
Incuſſos capiti, milleq; flagra data.
Liuentes atro ſpecta ſqualore lacertos
Sulcatoſq; artus funibus intuere.
Diductoq; uide patefactum pectus hiatu
Perfoßos clauis cum manibuſq; pedes
Vt taceam geminata truci conuitia lingua
Quæ ſimul infamāt, quæ ſimul excruciant.
O utinam poſſes oculos in pectus acuta
Cuſpide traiectum uel procul inſerere.
Et mentem patriæ pietatis imago ſub iret
Intus & angorum quid lateat aſpiceres.
Quotidie ſceleri ſcelus accumulare puderet
Vulnera ab integro ni renouare uoles
Quæ renouas quoties ablutam ſanguine noſtro
Conſpurcas animam per capitale nefas

❧ Ecce homo

Ecce tibi qui rex populi dominuſq; uocari
Concupijt, iam nunc infimus aſtat homo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

¶ E cruce Chriſtus loquitur.

Aſpicis ut pronum flecto caput oſcula captans,
Amplexusq́; petens brachia pando mea.
Tranſfixas extendo manus, ut munera donem,
Suppactoſq́; pedes ne mihi diſsilias.
Exero pectus hians, rarum quo teſter amorem
Et dubites toto fidere corde mihi?
Ad me reſpitio, memoriq; recondita corde
Cuius reſpectu tam miſere excrucior.
Te foret abſq́;, nihil tot acerbas pendere pœnas
Eſſet opus, quarum ſis memor uſq́; uelim
Porro qđ accumulas ſceleri ſcelus oĩbus unũ hoc
Eſt grauius pœnis, crimina quare fuge.

¶ Eraſmi Roter. Græcũ carmen Iambicũ ex uoto dicatum uirgini uualſingamicæ apud Britanos latinitate donatum.

O Salue Ieſu mater ut cum maxime
Benedicta, ſola mulierum, Deipara
Et uirgo, labis neſciens originis,
Multi quidem multa afferunt tibi munera
Eſt qui dat aurum, eſt qui dat argentum purum
Bona pars lapillos grata fert reconditos
Pro quibus, (ut impar hominum mens,) plurimi
Incolume poſcunt corpus, at quidam petunt
Multis beari diuitijs, & id cito.
Alijq́; ſperant obtinere amabile
Et dulce patris nomen, ac uocabulum
Vterum ferente & ingemente coniuge,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Pyliíq; longos conſequi dies ſenis,
Aſt ipſe uates beneuolus quidem tamen
Primis ab annis pauperum pauperrimus
Paucas & illas debitas tibi nænias,
Aliud nihil cum ſuppetat tenuiſsimum
Minimeq; penſans, exhibens munuſculum
Summum repoſco præmium, ecquod dixeris
Fortaſſe: dicam, nempe deditiſsimam
Deo, tibiq;, & omnibus cœlitibus
Mentem, & cor omni liberum piaculo

¶ Eraſmi Precatio Salue regina.

O regina, reûm miſeratrix maxima ſalue,
O ſpes dulcedo, uitaq; noſtra ſimul,
Ad te clamamus nati miſerabilis Heuæ
Quos lachrijmæ & gemitus uallis & iſta premūt
In miſeros ergo miſerantia lumina flecte
Oſtendas natum poſt mala ſecla tuum
Nam pia, nam dulcis, nam clementiſsima quum ſis,
Fac dignos fructu uirgo Maria tuo.

¶ Ethopœia ſiue ſermocinatio. D. Chriſtophori cum traijceret puerum Ieſum.

Dic mihi chare puer quæ tādē cauſa ſubegit,
Ignotas tentare uias, quo tendis amabo,
Dic quis, et unde uenis, tibi ubi patria atq; parētes?
Quid ſtruis, aut qua cauſa ignota in gente moraris
Sed tibi qui curſum uenti, quæ fata dedere?
Aut quis te ignarum noſtris deus appulit oris?
Cernis ut alterno procurrens gurgite pontus

Nunc ruit ad terram, ſcopulosq́; ſuper iacit undam
Spumens, extremamq́; ſinu perfundit arenam.
Nunc rapidus retro atq; æſtu reuoluta reſorbens
Saxa fugit littuſq; uado labente relinquit.
Iamq́; fere ſicco ſubductæ littore puppes.
Conditur in tenebras altum caligine cœlum,
Et medijs properas aquilonibus ire per altum?
Nonne times ne forte uorent immania cœte,
Non fugis hinc præceps dũ præcipitare poteſtas?
Ergo age chare puer, ceruici imponere noſtræ.
Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte grauabit.
Ipſe ego te ripis et recto flumine ducam
Aduerſum remis ſuperes ſubuectus ut amnem,
Ingenti quercu deciſis undiq́; ramis,
Correpta in manibus, placido dum defluit æſtu,
Traijciam, ut lœtus terra ſpaciere propinqua.
Auxilio tutum dimittam opibusq́; iuuabo,
Hæc fatus, latos humeros magnosq́; lacertos
Demittens procumbit humi, ſe paruus Ieſus
Impliat et manibus ceruicem amplexus inheret
Turbida mox placidi ſtrauerunt æquora uenti
Prona fertur aqua, uehiturq; aquilone ſecundo
Sed iam age carpe uiam et ſuſceptũ perfice curſum
Perge modo, et qua te ducit, uia dirige greſſum.
Nunc et in apricis diſcinctus ludito campis,
Aut reuehare mihi ſi fert ita corde uoluptas.
Dixit, et ex humeris paruum dimiſit Ieſum,

In ſimulachrum Concordiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Quæ dea? Romana, nomen? Concordia parua
Quod res magna meo redditur auſpicio,
Nil adeo infirmum eſt quod non Concordia firmat,
Extruit hæc muros, ædificatq; domos.
Vtq; ferunt imbrem gelidis concreſcere uentis,
Arida qui recreat paſcua rore ſuo
Inde niues fieri, niuibus quoq; mole rotatis
Aſtringi, & naſci grandine corpus: ita
Stipatu fotuq; meo gelidiſsima quæq;
Mox efferueſcunt & calefacta manent.
Auctibus aſsiduis unum glomerantur in orbem
Grandeſcunt, coeunt, luxuriantq; nimis
Monte Palatino quid? Ab omnibus uſq; uidendam
Me Druſilla tibi Liuia conſtituit.
Nil ita ſublime eſt ſupraq; pericula tendit
Non ſit ut inferius ſuppoſitumq; mihi.
Quare tuamq; refert tibi ſacra Ciconia formam?
Summa quod eſt cultrix hæc pietatis auis.
Quid rides? mea non duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero ſtat mihi corde ſilex
At ſciſſa triſtis uadit diſcordia palla
Quicquid & aſtrictum eſt, illa relaxat idem
Vipereum crimen uittis innexa cruentis
Aſpera auili cuncta cruore replens
Nec magis incœpta uultumq; a cæde mouetur
Quam ſcopulis cautes, cædit & atteritur
Sis licet & ſaxo ferroq; & durior omni
Non tamen edomites hoc Adamantis onus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

¶ Paternæ uerecundiæ exemplum Gene. ix.

HAud fas eſſe docens lætos ſterileſcere cāpos
    Arua colit Nohah gnauus ut agricola.
Exercetq; frequens uites, ac imperat uuis,
    Vuidus unde domum ſole calente redit.
Tum ſimul expletus dapibus, uinoq́; ſepultus,
    Ceruicem inflexam uix bene ferre poteſt.
Vertitur, inq; humeros ceruix collapſa recumbit
    Diductisq́; labris pendula lingua micat
Alternos lôngo nitentem ſtipite greſſus
    Perueſtigantem, quoue teneret iter
Sæpe uacillantem, nutantem, et ſæpe morantem
    Inſtigant operæ mancipiumq́; trahit
Concurrunt trepidi famuli Dominumq; ſubinde
    Lapſantem tollunt, ſuſcipiuntq́; domum
Corripiunt, interq́; manus ſub tecta reponunt
    Sub dio ſtratum nec recubare ſinunt
Extructosq́; toros obtentu frondis inumbrant
    Potum hic ſublimem depoſuere ſenem.
Dum ſtertit, totoq́; et profert pectore ſomnum
    Attractus ronchos naribus ingeminat
Veſtimenta procul nudis delapſa pudendis
    Nunc huc, nunc illuc uentus et æſtus agit
Cham minimus natu, perfrictæ frontis ephœbus
    Cui pudor omnis abeſt, cui metus omnis abeſt
Accelerat patrem ſomno ridere grauatum
    Inflatumq; nouo quod bibit ante mero
Nec deterret eum capitis reuerentia cani.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Detegit arcanum quod uidet opprobrium.
Obſcœnamq́; patris partem ſine ueſte iacentis,
Infami digito prodidit irreuerens.
Sem cum fratre Iaphet mox deflexere retrorſum,
Auerſi q́; horrent dedecus aſpicere.
Inijciunt humeris, bene laxis pallia limbis,
Nuda quibus magno membra pudore tegant.
Edormiuit ubi uinun, quod neſcius hauſit,
Mox didicit quod Cham flagitium exhibuit.
Ira efferueſcit, penitis dolor oßibus ardet,
Imo in corde ingens æſtuat atq́; pudor
Obſtupet inſoliti confuſus imagine probri,
Obtutu tacito ſtans nimis attonitus
Vt primum diſcuſſæ umbræ et lux reddita mẽti eſt,
Aeſtus et irarum effuſa et habena fuit
Ardentes oculos collecta ad pignora torquet
Turbidus extructus reſpiciteq́; toris.
Sit maledictus ait Chanaam puer ille ſceleſtus.
Fratribus æternum ſeruiat ecce ſuis
Sem benedictus erit, et erit benedictus Iaphet,
Veſtra deus uarijs impleat arua bonis.
Et nati natorũ, et qui naſcentur ab illis
Omnigeno terram ſemine multiplicent.

¶ D. Thomæ Didymi cohortatio ad apoſtolos
Eamus in Iudeam iterum. Ioan. ij. (gens

TVm Didymo exarſit Tomæ calor oßibus in
Et pudor incendit uires, et conſcia uirtus,
Venit amor, ſubitaq́; animum dulcedine mouit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

nceßitq́; ſimul moriendi ſumma cupido.
Nil metuit, uitamq́; cupit pro morte paciſci.
Quidlibet ac perferre poteſt, quia poße uidetur.
Haud equidem ſine mente reor, ſine numine diuûm.
Inſignis forma Didymus, uiridiq́; iuuenta
Ante alios magno Chriſti perculſus amore.
Hæret inexpletum, non diuellendus ab illo.
Sic placida charos affatur uoce ſodales.
Hunc ne deus noſtris ardorem mentibus addit
Collegæ? an ſua cuiq́; deus ſit dira cupido
Aut mortē, aut aliquid iamdudū inuadere magnū
Mens agitat Chriſto, haud placita contenta quiete.
¶ Eamus et nos, ut moriamur cum eo. Ioan. ij.
Haud ſecus ac iußi faciamus, eamus, et ultro
Commoriamur ei, tota quod mente cupiſcit
Quoq́; uocat uertamus iter, propereq́; feramur,
Cedamusq́; duci, & moniti meliora ſequamur.
Quī ſequimur? moriamur et ī media arma ruamus
Haud dubiam in mortē caput obiectemus oportet.
Vſq́; adeo ne mori miſerum eſt? nūm ſponte ſuapte
In mortem ſe dat cœliq́; ſoliq́; monarcha.
Et dubitamus adhuc crudelem occumbere mortem
Quando mori noſter dominus ſtatuitq́; cupitq́;
Quid facient ſerui dominus cum talia tentat.
Quid cunctamur eum comitari in prælia euntem
Cur interpoſitis ſacris huic nomina dantes
Conceptis uerbis iuramus ad omnia noſtri
Iuſſa ducis, præſto ſemper nos eſſe futuros

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Si nunc extremo uertamus terga pericl**o**.
Fidite ne pedibus ferro rumpenda per hoſtes
Eſt uia, nunc audendum nunc inq̃; ipſa uocat res
Par erat huic aperire uiam pericla, per ignes,
Et precedere eum, et quoquo nos mitteret ire
Nunc præcedentem qua tandem fronte ualemus
Excuſare ſequi, ſocios nos addere et illi?
Quæ nũc deinde mora, quo nos decet uſq; morari?
Quo Deus et quo dura uocant præcepta ſequamur
Stat propius cõferre pedem, ſtat quicquid acerbi eſt
Morte pati, et uitam magno finire dolore
In me nulla mora, ſequor, et quo dirigis adſum
Vſq; adeo ne mori miſerum eſt: uos ô mihi chari?
Haud dubiã in mortẽ certũ eſt præcedere certũ eſt
Stat caſus tolerare omnes uaſtumq́; per orbem
Læta ſalutiferi diſpergere ſemina uerbi
Nec mora nec requies uario certamine tendam
Tantiſper dum uitam uixero, nil ita durum
Vt tanta quicquam pro ſpe tentare recuſem (tur
Et tolerare grauer, nec enĩ leuia aut ludicra petũ
Præmia, reſpectu quorum decet eſſe paratos
Digna indigna pati, et duros perferre labores
Et dubitamus adhuc famamq; extendere factis
Experiar primum poſſit quid uiuida uirtus
Hæc fatus duplicem ex humeris reiecit amictum
Et magnos mẽbrorũ artus, magna oſſa, lacertoſq́;
Exuit atq; ingens media conſiſtit arena
Vt nudus nudum propere comittetur Ieſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Commoriatur item ſecum, mortemq; triumphet.

In Tyrannum.

TAlis adhuc languẽs, qualis leo rupe ſub alta
Quẽ uiridẽ quondã ſyluemõteſq; tremebãt
Iam piger & longo iacet exermatus ab æuo
Magna tamen facies, & non adeunda ſenectus
Et ſi dimiſſas ueniat mugitus ad aures
Erigitur, meminitq; ſui, uireſq; peractas
Ingemit, & campis alios regnare leones
Flectitur, affatu moriturq; libentius illo.
Si Pardus uarios poßit mutare colores,
Aethiopes pellem, barbariemq; Scythæ
Impius & poterit primis corruptus ab annis
Ad frugem rediens incipere eſſe pius
At prius incipient turres uitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas.
Quam ſemper ſolitus deterrima quæq; patrare
Mutatus ſubito deſinat eſſe malus.

In conuiuam ingratum.

Porcus ut excuſſa rapido uorat ilice glandes
Ore, nihil reputans, unde ea læta ſeges.
Sic conuiua parum gratus, minimeq; modeſtus
Nil quam diſtendens uentris aqualiculum,
Non oculos, non ille manus, non deniq; mentem
Exerit in cœlum, unde omnia proueniunt.
Cœleſti ue patri dignas perſoluere grates
Curat, ut exhibitum perpetuum eſſe uelit.
Glande ſues læti redeunt, & in antra recurrunt

Hic quoq; ſic abitum mox ſaturatus abit.

¶ Ex Archia Poeta Græco.

Ecquis non iſto laudarit nomine Thraces?
Iure recens natos ꝙ lachrymare ſolent.
Quod fortunatos contra, multumq; beatos
Cenſent, quos abolet mors inopina ſtatim
Semper enim uiui properant ad peßima quæq;
Aſt mors omnigeni certa medela mali eſt.

¶ In maledicentiß. obtrectatorem.

Cum tot habes aconita, tot exuberaſq; cicutis,
Mox quibus occidis quos perijſſe uelis.
Quod tecum uirus non fers in pixide, uerum
Viperæa lingua qua magis en ſe necas
Tu ne ſacram Chriſti ſeuißima uipera tu ne
His cœnam impuris ſumis ediſue labris?
Crede mihi fruſtra ſimul ora manuſq; lauabis
Infectam linguam niſi prius elueris.
Atq; adeo expueris, quãdo hinc teterrimum inhalas
Pus, fœtente grauem fundis & ore luem.

¶ In Pamphagum.

Quo tibi tanta cutis curandæ Pamphage cura?
Pinguibus es pinguis uermibus eſca ſatis.

¶ Ad Somaticum.

Ni tibi σῶμα foret cognomen σῆμα uocarem,
Quiduis namq; tuus condit aqualiculus

¶ In Foccones Phrijſios.

Terra duos aluit Foccones Friſia, & ambos
Carnifices quæſtu, nomine & artifices.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Hic laqueo fauces, eliſaq; guttura frangit
Et iugulat ſontes, excruciatq; reos.
Ille malis animas exemplis mille trucidat
Præfocatq; gregem luxibus atq; gula.
Par ſcelus amborum, niſi quod crudelior eſt qui
Interiore necat funere Paſtor oues.

Peſtis deſcriptio.

PEſtifer infecto morbus crudeſcere cœlo
Incipiens, primo pecudum depaſcitur artus,
Mox populos urbeſq; rapit, membriſq; peruſtis
Corruptas in aquas tetrum diffundit odorem.
Dein grauitas cœli paulatim in pectora uenit,
Vitaleſq; uias & reſpiramina claudit.
Letiferi calidis ſpirant ſimul æſtibus auſtri
Hic cadit one genus pecudu, gen9 oe uolucru,
Concidere infelix ualidos miratur arator
Inter opus tauros, medioq; recumbere ſulco
Iamq; cateruatim dat ſtragem atq; aggerit ipſis
In templis ſubito delapſa cadauera tabo.
Vtq; malum late ſolet immedicabile cancer
Serpere, & illeſas uitiatas addere partes
Sic quo quis propius, ſeruitq; fidelius ægro
In peſtem tanto citius uenit, inde ſalutis
Spes abijt, preſenſq; uident inſtare periclum.
Ante ſacros uideas proiecta cadauera poſtes
Aſpicere eſt alios flentes, alioſq; gementes
Lumina uerſantes ſupremo ardentia motu
Ac extendentes geminas ad ſijdera palmas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Ne longum faciam,ueluti cum putrida motis
Poma cadunt ramis,agitatæ & in ilice glandes
Sic quocunq; acies oculorum flexeris,illic
Corpora aduſta iacēt,uitiātur odoribus auræ,(uet
Nō fit corpus humo gelidū,ſed humus de corpe fer

❡Dolopœia figenda in cimiterio ſub Loculamēto
ubi mortui uiuis opplorant.

❡Eccleſiaſtici.xxxViij,Memento iudicij mei,
quoniam ſic & tuum,mihi heri,& tibi hodie.

ESte precor memores qua ſitis origine nati,
E terra geniti puluis & umbra ſumus.
Dum periere pater materq;,& millia mille.
Vltima cum uenit temporis hora tui,
Oribus ora,manus manibus,ſimul oßibus oſſa
Cum cumulata uides corpora corporibus.
Hinc te poſſe mori,atq; adeo debere,priuſquam
Huic addâre ſcrobi,tu tibi colligito.
Nemo ex hoc numero tibi nunc ut noſcitur,olim
Imo breui nulli ſic quoq; notus eris.
Noſtra quidem tenues fugit ceu fumus in auras
Apparens modicum quid niſi uita uapor?
Sanguis hebet,frigentq; effœtæ in corpore uires
Nec tibi mortis adhuc iam meminiſſe uacat
Ne fruſtra uidear uiuum monuiße ſepultus
Aeternam requiem ſæpe precere uelim.
Quod præſtabis opis nobis nunc lumine caßis,
Mox á morte tua teq; ſequetur idem.
Quis finis fandi quo me decet uſq; morari?

Iamq; uale, & mortis ſis memor uſq; tuæ.
Cur uultus, uociſq; ſonus, cur greſſus euntis,
Cur opplorantis teq; querela necat?
Heus tu, quo diuerſus abis, age ſiſte parumper
Sic te nulla tuæ cura ſalutis habet?
Iudicij memor eſto mei, quia tale futurum
Eſt tuum, heri nobis, cras, hodie immo tibi.

Requieſcant in pace.

ALIVD.

Cernis ut hoc loculo miſcentur ſacra prophanis,
Hoc myſtes par eſt ordine pontifici.
Auguſtus tenui non diſtat Cæſar ab Iro,
Helluo cum frugi, cum nebulone pius
Victor cum uicto pariter miſcetur & hoſte.
Iudex cum rabulis, cum ſtupidiſq; uafri.
Cum uectore faber, cum remige nauita, cumq;
Mactatore calo, cum molitore coquus,
Cum caupone hoſpes, cum conductore locator,
Cum lurcone tenax, cum lucrione petax.
A pedibus, grapheus, prætor, reus, actor, ab actis
Tutor, præco, cliens, orphanus, erro, latro,
Quid? quod ſandapila pheretroq; elatus eodem
Veſpillo ad tumulum cum locuplete putret,
Plebs patreſue ſient nullo diſcrimie aguntur.
Occulit õnigenũ hec ſcrobs licet arcta gregẽ
Vna quidem uirtus pietaſq; eſt neſcia claudi
Libera quæ campis regnat in Elyſijs.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Encominum Iohannis Vuaſſerbeer Herois imprimis illuſtris.

O Clara piaq́; natus e propagine,
Mire uetuſta, nec minus catholica,
Præſtantiori nemoquo fuit indole,
Proceritate corporis conſpicuus,
Dulaq́; morum ſuauitate præditus,
Laborioſus, liberalis, candidus
Comis, benignus, cuilibetq́; affabilis,
Facie decorus, uiribus pollens, ubi
Primum iuuenta militiæ patiens fuit,
Multum ſupinas execrans inertias,
Corpus ſubegit improbis laboribus
Luctæ, paleſtræ, et gymnico certamini
Nauauit operam ſub magiſtris optimis,
Hannout ſecutus caſtra ſtrenui ducis
Primis ab annis hunc uirum nactus, ſtatim
Aſſueuit eius facta coram cernere,
Grauemq́; martis aleam atq́; onus pati.
Luſtris peractis uix tribus teneras malas
Iam ueſtiente molliaula lanugine,
Se ſe merendo exercuit ſtipendio.
Patiens ſupra quam fuerit credibile
Nullo labore, nullo item negocio,
Corpus fatigari aut animus uinci poteſt,
Par tum caloris tum gelu patientiæ
Non raro opertus militari ſagulo,
Humi quieſcit proxime cuſtodias.

Vultúq; quandam prætulit ſolertiam
Inter pericla conſilij multum fuit.
Vbi quid potenter, ſtrenueq; et fortiter
Eſſet gerendum, non alio ſibi duce
Magis ſolebant milites confidere, aut
Audere quiduis, quamlibet difficile,
Virtute pluſquam heroica, ſcientia,
Felicitate, et cognita freti fide.
Terra mariq; præfuit militiæ
Domi et foris iuxta paratus omnibus.
Vbiq; pulchre ſeruiens et tempori,
Socios benigne comiterq; appellitans,
Nulli timori, nulli item fuit odio,
Formidoloſus hoſtibus ſolum fuit.
Et plus amari quam timeri geſtijt,
Liuoris expers neminem peſſumdedit
Eo audiente nemo quidquam dixerat
Aut immodeſtum aut murmur aut blaſphemiam
Metu repreßit addito temerarios
Animumq; ſtulte reſtituit timentibus,
Mortisq; plane negligens, patriæ omnia
Poſthabuit, ut cui accepta ferret omnia.
Nihil putabat nequius eſſe perfugis
In contumaces perfidosq; ſeuijt
Bellona uixdum ſtridulum campis fremit.
Lugubre, clangorq; et tubæ procul crepat
Magno ſtatim in bellum ruebat impetu
Qualis leo cum mane primum uiderit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Certum aut iuuencum, it fremitu gaudens, licet
Greges et arma ſe laceßunt undique
Prædamq́; uenantum uidens ſua uulnera
Neſcit, nihilq́; ſan guinem friſium morans
Vt facile noſcas eſſe natum prelio,
Minime omnium pecunia expugnabilis,
Predæ, rapinæ, uictor ac auariciæ
Nullius æque ac gloriæ ſitiens fuit,
Simulatæq́; raucus perſonat clangor tubæ
Princeps inibat prelium, ſed ultimus
Tandem peracto prelio diſceſſerat
Factisq́; iuxta ac concione ſtrennuus
Minimum ipſe de ſeſe loquebatur quidem
Faciebat autem plurimum et belli et domi.
In puniendo plus ſatis clemens fuit
Cauens ab ira ut ſi quis alius maxime
Hoſte interempto mox ab armis abſtinet
Viri quidem eſſe dixit interficere
Aſt ad latrones pertinere exuuias.
Venationis ſic ſatis cupidus fuit.
Huc pertrahente dignitate corporis.
Aetate plane lubrica, & licentia
Formoſiorum ardentior uiraginum
Amator æquo, cætera prorſus candidus
Boniſq́; nactus artibus potentiam
Nulli putabat eſſe adulandum turpiter
Gelris reſiſtens grauiter gregarijs
Incendiarijsq́; Traiectenſium, et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

icariorum et perfidorum militum
Vtroq; ſemper claudicantium pede
In factiones uſq; propendentium,
Aſtu, doloq; proditur fœdiſſime
Multis petitus conuicijs è mœnibus,
Spectante turba turpiter deducitur
In carceremq; truditur teterrimum
Mortiq; ſæpe deſtinatur peſſimæ
Tandem redemptus maxima pecunia,
Hoc eſt, ſolutis uiães mille aureis
Probe ultus eſt quam pertulit tyrannidem
Securum in hoſtem prodit occultus, ſimul
Et ſubter effoſſi ſoli fundamina
Tranſilijt, incluſos latenti limite
Muros et arces ſpoliat præſidijs
Maximiliano militans ſub Cæſare
Paucis adauctus copijs, multum et diu
Venetos rebelles compulit tergum dare
Caſtris relictis exuuijsq; deditis
Ob ſingularem hanc quam tulit uictoriam
Mox Cæſar illi uellus obtulit aureum
Burgundionum principum geſtamen et
Inſigne quo non aliud eſt præſtantius
Donec batauis bellum erat cum Gelrijs
Summa fide ſuam aſſerit Batauiam.
Nefarios ſtatimq; conatus ſua
Sagacitate olfaciens, uigilantia
Prudentiaq; prendit, incredibili

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Conuincit eloquentia, grauiſſima
Autoritate reprimit atque martijs
Extinguit armis maximaq́; ſuſtulit
Felicitate, atq́; hoc amore patriæ
Factaq́; pace caſtra muniri iubet
Tormenta conflari monens ahenæa,
Decem per annos tota ferme phriſia
Gelra occupata fraude, ui, technis. dolo,
Cum iam nihil aut nihil fere ſpei foret
Quo tam potentem, diuitemq́; et liberam
Gentem, quis unquam uindicaret Cæſari
Non ſine fauore nec ſine auxilio Dei,
Claſſe impetrata phrijſios adoritur
Nunc nocte nunc interdiu in hoſtem mouens
Nil non adibat intrepide periculi,
Omnia peragrat arua, luſtrat omnia,
Numqua patentum ſigna cernat mœnium
Adituq́; prorſus inuia explorat loca,
Media profundum nocte pontum tranſfretat,
Paucis diebus nactus integerrimum
Natumq́; bello comitem Georgium
Scencum, ſalutem reſtituens deperditam
Tranquillitati phrijſiam priſcæ dedit,
Partim fugatis hoſtibus partim obrutis,
Partim ſuapte ſponte ſe dedentibus.
Qualisq́; nauis omnibus piratica
Infenſa nautis mercium pleniſſima
Populata multis ſeculis multas rates

ignam in biremem ſtrenuamq́; et inadit
e more predam dum putat, remigibus
duata cæſis, orba uelis ſauda,
ractis gubernaclis et autennis carens
ntis et undæ pelagi ludibrium.
ſtata uaſtato luit pœnas mari.
uaſſæq; glande corruunt rotatili,
rbes et arces eæque munitiſſimæ.
eſtabat una Slota munitiſſimo
allata uallo impliatisq́; ſentibus,
quis profundis hinc et hinc circundata,
as dum penetrat dumq́; tentat num ſatis
int tranſituris peruiæ rorarijs
iarijsq́; ſe quibus ſocium addidit
Clam per foramen agminatim proſilit
eges globorum, terrifico quos euibrat
Bombarda quaſſu maximoq́; et impetu
Hic dum ſibi parum caueret brachio
Lætale uulnus accepit Leouerdiæ
Moriens, ſepultus eſt Hagis celeberrima
Pompa quidem, ſed ſingulari Hollandiæ
Luctu, dolore, lachrymis ac fletibus.
Quis non acerba tum ingemuit quis non item
Arſit dolore, quem (fieri poßit modo)
Omnes uolebant neſtoreos excedere
Annos, ut eſſet terror ac metus hoſtium
Ei negatum legitimum mortis diem,
Sic ſe gerendo an ullus admirabitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Si mors acerba et luctuoſa Hollandiæ
Quem unum timebat Carolus Geldrus uirum
Terræ fidelem Hollandiæ et ut quum maxime
Suæ fauentem patriæ, ſuperſtite
Illo nihil fuit timendum Batauis,
Illo reuerſo candida pax redijt ſtatim,
Illo perempto, bella ſunt, bella horrida.
I nunc et effer ſplendidis mendacijs
I nunc et orna magnificis elogijs
Marios, Iugurthas, Hannibales, Aſdrubales,
Magnos Alexandros, Carolos magnos, item
Pylios, Achilles, Hectores et Hercules.
Quotquot fuerunt aut duces aut principes
Si unum in locum uel conferas uel adlegas
Non comparandi ſunt quidem cum Vuaſſenaer,

Finis.

VIRGINITATIS ENCOMIVM

Ad Florentium Parthenium,
Florida uirginitas quanti ſit habenda, puſillum, at
Vtile cum primis, hoc tibi monſtrat opus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

¶ Alardus Amſtelredamus Florentio
Parthenio ſuo. S. D.

QVoniam pleriq; cum ſemper alias, tum
certe iam nunc, ut quum maxime in poſ-
remis habent uirginitatem, ꝙ negant eſſe in poteſ
tate hominis eam ſeruare, ſtultum uero eſſe tentare
quod non poßis efficere. Idcirco uiſum eſt mihi pri
uſquam collegum tuum honoratißimum ad uirgini-
tatis ſtudium cohortarer & oſtenderem quanta ſit
uirginum dignitas, quantaq; felicitas & quantis itē
periculis hic theſaurus ſit expoſitus, primum uirgi
nitatem ex arcanis literis illi quā commendatißimā
facere. Deinde ſelectis aliquot ueterum ſententijs
confirmare. Ad extremum quādo encomia magna
ex parte dumtaxat aures deliniunt, exempla uero
docent oculos, ſequi Hiſtoricos, ꝙ. ij benefacta lau-
dando, & quæ contra ſunt uituperando nō docent
quidem, ſed quod eſt efficaciſſimū exemplis propo
ſitis quæ recte ſecusue fiāt, uelut in ſpeculo oſten-
dunt. Iā uero ſi prophanæ uirgines potuerūt animi
deſtinatione atq; exercitatione naturam ad ſuper-
biam, libidinem aliaq; magna uitia proniorem in
diuerſum flectere, quid ni idem poſſint Chriſtianæ,
Chriſti gratia adiutæ, totq; inſignibus exemplis
prouocatæ Preſertī ſi ex aīo dei auxiliū poſtularīt
poſtulabūt uero ſi ītimis cordis affectib⁹, ſuſpirijs,
gemitibus, uigilijs, ieiunijs, chamæeunijs, meditati-
onibus, aſſiduis ſcripturarum lectionibus, pijs exer

citijs frequentibus precationibus, donum hoc a deo nitantur impretrare Proīde tota errant uia qui nō uerentur impudentiſſime obſtrepere, illos rem prorſus impoſſibilem tentare, qui uoto ſuſcepto, ſeſe pperpetuæ mācipant caſtitati, uotumq́; illud inhil aliud quam temerarium iuxta ac deridiculum eſſe promiſſum. Quid? q Paulus ille uult omnes homines ſicut & ipſe eſt eſſe, nouit enim quanta caſtitas mercede penſetur. Atqui nunquam hoc uoluiſſet Apoſtolus ſi fieri omnino non poſſet. Dico aūt inquit, non nuptis & uiduis bonum eſt ipſis ſi ſic permanſerint ſicut & ego. An non magnopere appetendū quod a tanto doctore laudatur? Bñ ualebis Amſtel.

¶ Compendiarum Virginitatis Encomium

aſʒiæ, Cap. lVi. Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit dominus eunuchis, Si cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ uelim & tenuerīt fædus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius a filijs & filiabus, nomē ſempiternū dabo eis qđ nō peribit. Sapien. iij. Felix eſt ſterilis & in coinquinata, quæ neſciuit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectionem animarum ſanctarum, Et ſpado qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem nec cogitauit aduerſus dñm nequiſſima, dabitur enī ei fidei donum electum, & ſors in templo dei acceptiſſima. Math. xix. Et ſunt eunuchi qui ſeipſos caſtrauerūt. propter regnum cælorū qui poteſt capere capiat.

i. Corin. vij. Qui ſine uxore eſt ſollitus eſt quæ do-mini ſunt quomodo placeat deo, & mulier inupta & uirgo cogitat quæ dñi ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Et mox ibidem. Bonum eſt homini uxorem non attingere, Nam uelim omnes homines eſſe ut & ipſe ſum. Bonum eſt ſi manſerit ut & ego Arbitror igitur hoc bonum eſſe propter præſentē neceßitatem, nam bonū eſt homini ſic eſſe, hoc aūt ad id quod uobis conducabile eſt dico, non uti laqueū uobis inijtiam, ſed ut quod honeſtum eſt ac decorū ſequamini, & adhereatis domino abſq; ulla diſtractione, attamē beatior eſt ſi ſic maneat iuxta meā ſententiam, Opinor autem q & ipſe ſpiritū dei habeā.
Apocalip. xiiij. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, uirgines enim ſunt, hij ſequuntur agnum quocumq; ierit, et ſine macula ſunt ante thronum dei.

¶ Selecta aliquot ueterū orthodoxorū teſtimonia per Alardum Amſtelredamum coacta.

Origenes in homelia in Numeros uiceſima: Certū eſt impediri ſacrificiū indeſinens ab ijs qui neceßitatibus coniugalibus inſeruiūt, unde mihi uidetur q illius ſolius eſt offerre ſacrificiū indeſinens, qui indeſinenti & perpetuæ ſe deuouet caſtitati.
Idem in Epiſto. ad Rom. ca. ij. Li. ij. Idem in eandē li. ix. Idem home. in Leuit. xij. & Ioſue. item Baſilius in Pſal. xliiij. Idem in principiū Prouerb. Idē in exhortatione ad baptiſmū, & li. de perfecta uita.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Tertulianus lib. de habitu uirginum. Idem de cultu fœminarũ contra gentiles li. ij. c. xxix. li. de finit. Eccle c. lxij, & ſequẽtibus. Hieronymus in epiſtola ad Gerontiã aduerſus uiduam iterantem coniugiũ: nam cum, inquit, in ſemente terræ bonæ centeſimũ ſexageſimum & trigeſimum fructum Euangelia doceãt, & centenarius pro uirginitatis corona primum gradum teneat, ſexagenarius pro labore uiduarum in ſecũdo ſit numero, tricenarius nuptiarũ fœdera ipſa digitorum coniunctione teſtetur. Digamia in quo erit numero? immo extra numerum

Hiero. lib. aduerſus Iouinia. i. non eſt huius loci nuptiarum anguſtias deſcribere, & quaſi in communib⁹ locis rhetorico exultare ſermone Plenius ſuper hac re cõtra Heluidiũ & in eo libro quẽ ad Euſtochium ſcripſi arbitror abſolutum. Certe & Tertulianus cum adhuc eſſet adoleſcens, luſit in hac materia, & preceptor meus Grego. Nazianzenus uirginitatem & nuptias diſſerens Græcis uerſibus explicauit. Idem ibidẽ. i. Legimus primã dei ſententiã. Creſcite & multiplicamini, & replete terram, ſed ita nuptias recipimus ut uirginitatẽ, quæ de nuptijs naſcitur præferamus Nũquid argentũ, nõ erit argentũ ſi aurũ argento pretioſius eſt? aut arboris & ſegetis cõtumelia eſt? ſi radicia & folijs & culmo & ariſtis poma præferãtur, & fruct⁹, ut poma ex arbore, frumẽtum é ſtipula: ita uirginitas é nuptijs

Hiero, in illud Apoſtolicum. De uirginibus autem

præceptum domini nō habeo: Hi ſunt eunuchi qui ſe lignum aridum ob ſterilitatem putantes, audiunt per Eſaiam, quod pro filijs & filiabus locum in cœlis habeant paratum, Horum tijpus eſt Abdemelech Eunuchus in Hieremia, & ſpado ille reginæ Candacis in Actis Apo. qui ob robur fidei uiri obtinuit nomē, Ad hos & Clemens ſucceſſor Apoſtoli Petri cuius Paulus Apoſtolus meminit, ſcribit epiſtolas omnemq́; pene ſermonem ſuum de uirginitatis puritate contexuit. &c. Idē in illud: Mulier innupta & uirgo cogitat quæ domini ſunt: Quod autem ait Creſcite & multiplicamini & replete terrā, neceſſe fuit prius plantare ſyluam & creſcere, ut eſſet quod poſtea poſſet excidi, ſimulq́; conſideranda uis uerbi & replete terram, Nuptiæ terram replent, uirginitas Paradiſum.

Hiero. aduerſus Heluidium: Quam diu lex illa permanſit: Creſcite & multiplicamini & replete terrā & maledicta ſterilis quæ nō parit ſemen in Iſrael: nubebant omnes & nubebantur. & derelictis parentibus fiebant una caro. Quādo uero uox illa p̄tonuit: Tempus breuiatum eſt, reliquum eſt qui habēt uxores ſic ſint quaſi non habeant, adherentes dn̄o unus cum eo efficiamur ſpiritus & quare? Quia qui ſine uxore eſt. &c. Idem aduerſus eundem Hoc eſt quod Apoſtolus breuiter Chriſto in ſe loquente, teſtatus eſt: Innupta cogitat quæ dei ſunt quomodo placeat deo, nupta uero cogitat quæ ſunt mundi quo=

modo placeat uiro, nobis ſuper hoc campum intelligentiæ derelinquens. Neq; tamen alicui neceßitatem imponit aut laqueum, ſed id quod honeſtum eſt ſuadet, uolens omnes eße ſicut ſeipſum. Et quanq; de uirginitate domini preceptũ nõ habeat, quia ultra homines eſt, & quodãmodo imprudentis erat aduerſus naturam cogere, alioqui modo diceret: uolo uos eſſe quod angeli ſunt, unde & uirgo maioris eſt meriti, dum id contemnit, quod ſi fecerit non delinquit, Nihilominus in coherentibus infert. Conſilium aũt do tanq; miſericordiã conſequutus a dño ut ſim fidelis Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceßitatem, quia bonum eſt homini ſic eſſe, Quæ eſt iſta neceßitas: uæ pregnantibus & nutrientibus in illa die. Ideo ſylua ſuccreſat ut poſtea reſcindatur, ideo ager ſeritur ut metatur, Iã plenus eſt orbis, terra nos non capit, quotidie bella nos ſecant, morbi ſubtrahũt, naufragia abſorbent, & nihilominus de terminis litigamus.

Chriſoſtomus in homelia in Gene. xxi. & .xliij. Idẽ in Math. homelia. xVi. xVij. lxiij. lxxi. lxxix. ex opere imperfecto in Math. homelia. xxxij. xlij. & lij. Idem in priorem ad Timoth. homelia. iiij. & Viij. De diuerſis homelia. xxij.

Auguſt. lib. i. de ciuitate dei. c. xVij. xxVi. xxViij. Idem lib. ij. de ciuitate dei. cap. xxViij. xxix. Ibidem lib. iij. cap. V. xiiij. xVij.

Auguſt. de uerbis domini in Math. ſer. xxiij. &

lv. De uerbis Apoſtoli ſermone. xviij. Ad Poßi-
doniũ epiſtola. lxxiij. ad Victorianũ epiſto. i. xxij.
Ad Demetriadem epiſto. c. xcij. & . M. CCCC. li.
Auguſt. de nuptijs & cõcupiſcentia ad Valerium
ca. xiij. De gratia noui teſtamenti cap. xxxvi. lib.
iij. contra Iulianum pelag. ca. xxvij. Ibidem lib. iij
cap. xxxiiij. De uera innocentia cap. lxxix. In pſal
xcix. & . c. xlvij. li. iij. de peccatorũ meritis & re-
mißiõe, In queſti. ueteris & noui teſta. queſti. xvij
Auguſt. de ſancta uirginitate. cap. xiij. uirginalis
integritas & per piam continentiam ab omni con-
cubitu immunitas, angelica portio eſt & in carne
corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio, Ibi
dem. cap. xxij. Chriſtus dicit eos qui pio propoſito
ab uxore ducẽda ſe continent caſtrare ſeipſos prop
ter regnum cœlorum, & cum contra humana uani
tas pia temeritate contendit, eos qui hoc faciunt pre
ſentem tantũmodo neceßitatem moleſtiarum coniu
galium deuitare, in regno cœlorum amplius quicq;
cæteris non habere. Auguſtinus epiſtola. C. xxviij
Beatius eſt in carne imitari uitam angelorum, quã
ex carne augere numerum mortalium. Hæc eſt ube
rior fœcundiorq; felicitas non uẽtre graueſcere ſed
mente grandeſcere, non laceſſere pectore, non uiſ-
ceribus terram ſed orationibus cœlum parturire.
Ciprianus de ſing. cler. Ciprianus li. i. epiſto. ij
Idem tractatu. ij. de habitu uirginum prima ſenten
tia creſcere & generare præcepit, ſecunda ad cõ-

ſtinentiam ſuaſit. Quum adhuc rudis mundus & inanis eſt, copia fœcunditatis generante propagamur, & creſcimus ad humani generis augmentum Quū iam refertus eſt orbis, & mundus impletus qui capere continentiam poſſunt, ſpadonum more uiuentes caſtrantur ad regnum, nec hoc iubet dn̄s ſed hortatur, nec iugū neceßitatis imponit, quādo manet uoluntatis arbitrium liberum.

Ambro.li.V.hexamerō ca.iij.&.ix.&.x.Idem de uiduis:honorabile īquit cōiugiū, ſed honorabilior integritas, nā & qui matrimonio iungit uirginem ſuam beneſacit, & qui non iūgit melius facit, quod igitur bonū eſt non uitandū eſt, & quod eſt melius eligendū eſt ita, quia nō imponitur ſed præponitur.

Ambro.in exhortatione ad uirgines: Videte itaq; quid ſcriptura dicat, quid Apoſtolus ſuadeat. Quis nobis poteſt melius conſilium dare quam ille uas diuinæ electionis? quod igitur dicat percipite auribus, Volo aūt omnes homines eſſe ſicut meipſum, Et iterum dicit non nuptis & uiduis: Bonum eſt illis ſi ſic maneant ſicut & ego uolo uos imitatrices eße tanti Apoſtoli, ut uitam eius ſequamī que coniugij uinculū refugit, ut uinctus eſſet Chriſti Ieſu, non potuiſſet ad tantā Apoſtolatus ſui peruenire gratiam, ſi fuiſſet alligatus coniugij contubernio. Quod ſi ille qui & doctrina preſtantißimus erat, & tantum Chriſti donū habebat, iudicauit tanti momenti eſſe ſi abſtineret ab uſu copulæ coniugalis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

& ideo ſic manſit ne plurimũ ſuo muneri decrepe
tur, q̃ neq; orationi uacare ſemper liceret, neq; ſem
per diuinis intendere mandatis quem coniugij cura
reuocaret, ut placere uxori eſſet neceſſe, quod utiq;
uos eligere oportet quibus ſola uirginitas libertatẽ
dare poteſt, Theodoricus Cyrenſis epiſcopus, de cu
ratione græcarum affectionum lib. iij.
Beatus fulgentius ad Probam de uirginitate
D. Eraſmus. lib. iij. & iiij. Eccleſiaſtæ
Iudocus Clithoueus in propugnaculo Eccleſiæ. lib
ij. ca. iij. & Vi & precipue. c. xxxij. Idem in anti
Luthero. liij. c. xxi. Idẽ de laude monaſticæ uitæ.

EXEMPLA.

Ambro. lib. de uirginibus primo: Sed etiam Helias
nullis corporis coitus fuiſſe permixtus cupiditatibus
inuenitur, ideo ergo curru raptus ad cœlum, ideo
cũ domino apparet in gloria, Ideo dominici uentu
rus eſt præcurſor aduentus, Et Maria ſumens tim
panum uirgineo pudore choros duxit, Sed conſide
rate cuius tũc illa ſpeciẽ gerebat, nõne eccleſiæ? quæ
religioſos populi cœtus, qui carmina diuina cõcine
rẽt immaculato uirgo ſpiritu copularit, nã etiã tẽ
plo Hieroſolymis fuiſſe legimus uirgines deputatas
Hiero. aduerſus Iouianum: Hieremias qui in utero
ſanctificatus eſt, & cognitus in uulua matris, ideo
hoc priuilegio fruitur, q̃a uirginitatis erat beatitu
dini deſtinatus, & cũ oẽs capti ſint uaſaq; tẽpli Ba
bilonie rege uaſtãte direpta, iſte ſolus liber ab hoſtibus

eſt, & captiuitatis neſcit iniurias, & a uictoribus accipit ſtipendia, & Nabuzardam enim de ſanctis ſanctorum Nabugodonoſor non præceperat præcepit de Hieremia, hoc enim uiuum templum dei eſt & hæc ſancta ſanctorũ quæ uirgitatis pudore domino conſecrantur.

Hiero. aduerſus Iouinianum. Poſt crucem Chriſti, ſtatim in actis Apoſtolorum una domus Philippi Euangeliſtæ quadriga uirginum filiarum produxit ut Cæſarea in qua ex gentibus eccleſia per Centurionem Cornelium fuerat dedicata, etiam uirginum puellarum præberet exempla, At mox ibidem: Tranſeamus ad Iacobum qui frater domini dicebatur, tantæ ſanctitatis tantæq; iuſtitiæ, & perpetuæ uirginitatis, ut Ioſephus quoq; hiſtoricus Iudeorũ propter huius necẽ Hieroſolijmã ſubuerſã referat.

Athanaſius de paßione domini: Nunc enim pueri uoluptatem, quæ quondam etiam ſenes ſeducebat, derident idq; nondum legittimam ingreßi ætatem, pudicitiã quæ ſupra legem eſt induunt, uirgines manentes per uerbum calcant ſerpentinæ uoluptatis fallacias, nihil metuentes huius lethales morſus Hæc ille, Quod igitur pueri & uirgines, & ij quidem nõ ſolum indocti, ſed & ruſtici, contemnunt, id docti uiri, ſenes, & ut nihil aliud ſacerdotes, iuxta ac eccleſiaſtæ concupiſcent?

Quintilianus lib. V. ca. ij. ad exhortationem uero præcipue ualent imparia, admirabilior in fœmina

quam in uiro uirtus. Cicero in .ij. Tuſcu, hoc pueri poſſunt, uiri non poterunt? Hiero. Proh pudor fragilior ſexus uincit ſeculum, & robuſtior ſuperatur à ſeculo. Eras. Roterod. lib, Eccle. iij. Illud artis eſt, ut exẽpla quæ per ſe ſunt imparia, per amplificationem ac diminutionem magis imparia uideantur, Id fit collatis omnibus circumſtantijs, ueluti ſi ſacerdotes ad continentiam exhorteris, Primus gradus eſt in ſexu. Agnes & Cecilia fœminæ erant, Alter in ætate, puellæ erant. Tercius ab habitu corporis, egregia forma, Quartus in educatione & fortuna eſt, claris, & diuitibus prognatæ, in delitijs educatæ Quintus conditionibus. liberæ erant, nullis aſtrictæ uotis. Sextus in uarijs circunſtãtijs, ut a parentibus ad matrimonium urgebantur, a procis egregijs expetebantur, nec ullis tamen machinis expugnari poterant, ut uirginitatem licito etiam matrimonio commutarent, Et iſti uiri quidam, etiam prouectæ ætatis in literis ac monaſterijs educati, uotis aſtricti, dehortantibus amicis, propoſita infamia nõ leui clamant ſe non poſſe continere, ſed aut arripiunt uxores, aut alunt concubinas, aut quod eſt omnium ſceleratiſſimum, uago concubitu ſe contaminant.

¶ Sequitur D. Cæciliæ uirginis ac martiris uita.

❡D. CAECILIAE VIRGINIS AC MARTYRIS VITA

O Præclara quibus tandem te laudibus ornē,
Iuſtitiā ne prius mirer, an omnigenas
Corporis ac animi dotes? an & ampla celebrem
Commoda fortunæ, quæ tibi ſuppeditant.
An uenerãda tuæ Gracchorum ſtemmata gentis,
Vnde tuum nacta eſt commemorabo genus?
Quo cantu aggrediar? quæ prima exordia ſumã?
In tanta turba quis mihi finis erit?
Non ego ſum ſatis ad tantæ præconia laudis
Prima feras lauri præmia promerita es
Magna canant qui magna tuæ præconia laudis
Extollent merito carmine grandiloquo.
Aſt mihi plebæo multa farragine paſto
Parua ſat agreſti eſt perſtrepuiſſe ſono.
Hoc mihi cur ſumam, maioraq; uiribus auſim,
Non eſt ingenij cymba grauanda mei.
Nam primum auſuræ trans alta ignota biremes
Exiguo tentant mox prius arma lacu,
Explorant remos, atq; ipſa pericula diſcunt,
Vt cum experta cohors et meditata manus.
Ereptas oculis ſoleat non quærere terras,
Tunc pontum irrumpens longius ire parat.
Maxima Cæciliæ quamuis ſint martyris acta,
Hec tamen ex minimis, nũc memorãda mihi
Virgo pie docta, & docte pia, nata fouendis
Pauperibus, nulli non et amata probo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

In quam cum ſpede, cum forma, cumq́; pudore,
Ex æquo certat corporis integritas.
Cuius ſimplicitas prudens, prudentia ſimplex
Immortale parit, conciliatue decus.
Cuius opes ingens pietas commendat, & ornat,
Nobilior dubium, largior an ne fuit,
Aemula maternæ pietatis ubiq́;, ſtudebat
Ingenuis matrem moribus exprimere.
Caſta refert caſtæ genitricis filia mores,
Laſciuæ nunq̈; gnata pudica fuit.
Pupillos, uiduas, & egenos undiq́; quærens.
Auxiliatrices præbuit uſq́; manus.
Nullum maius erat lucrum quam paſcere egenos
Fœnore nam grandi centupla dona tulit.
Quas Chriſti cauſa miſeris donauit egenis,
In cœlo æternas conſtabiliuit opes.
O quam te memorem, quibus & te laudibus ornē,
Dotibus omnigenis prædita Cecilia.
Dum dotes, dum diuitiæ, dum nubilis ætas.
Dum color in niueo corpore purpureus.
Dum nullum non forma rapit dum cuiq; probatur
Virgineus roſeo qui nitet ore pudor.
Dum ſibi ſollicitāt locupletum turba procorum
Hanc Chriſti ſponſam iungere connubio
Ne fallant aſtus, ne lubricus incitet æſtus.
Blanditiæ flectant, nupta ue uerba trahant
Vanaq́; ne teneram titillet gloria mentem,
De tot nobilibus quot habet illa procis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Ecce ſequeſtratis, & ſpretis omnibus unum
Deligit in ſponſum te ſibi Chriſte ſuum,
Te deſiderat, & te expectat, teq́; requirit,
Te ſperat, loquitur, ſomniat, atq́; refert.
Quem captat, cui ſeruit, quem cogitat unum,
Quo cum ſe ſolo paſcit & alloquitur,
Lubrica carnalis faſtidit gaudia luxus
Nec præter Chriſtum quærit habere procum
Calcato penitus uitæ mortalis amore
Spes á Chriſto uno tota pependit ei.
Dulces docta modos dulci modulamine, multum
Afflictos animos mulcet & exhilarat.
Nocturnoq́; ſtatos meditatur tempore pſalmos,
Pſalmis ſuccedunt organa ſuaui ſona
Conſona cæleſtes oblectent organa mentes,
Eſt procul a cœlo quem nihil iſta iuuant.
Muſica Pierijs reſonant & plectra camœnis,
Nec mens diſparibus diſsidet harmonijs.
Suaui ſono procul audito modulamine plaudens,
Iratum blando mitigat ore Deum
Cum penetrant aures concordibus organa metri
In ſuperos dicas iſſe repente, choros
Inde cito mens rapta ſui obliuiſcitur, inde
Viuit & eſt uitæ mens bene gnara ſuæ.
Surgit, & ætherei ſpectans orientia ſolis
Lumina, mox grates ſoluit agitq́; deo.
Seſe ſuper ſeſe leuat, attollitq́; leuari
Corporea dominum mole ſubinde precans

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

rs fit ubi a teneris meditatio diſcitur annis,
Quæ uenit exacto tempore peior erit.
eternæq; flagrans uitæ dulcedine ſpernit
Omina quæ fallax gaudia mundus habet.
't redit itq; frequens longum formica per agmē
Granifero ſolitum dum uelut ore abum.
Aut ut apes ſaltuſq; ſuos, & olentia nactæ
Paſcua, per flores, & thyma ſumma uolant,
ic ruit ad ſacras auidiſsima uirgo coronas
Fauabus ut plenis hauriat eloquium
ilia tu uincis nec adhuc delapſa liguſtra,
Et Tiburtino mente quod albet ebur
Digna quidem facies pro qua uel obiret Achilles,
Vel Priamo belli cauſa probanda fuit,
Hanc tot ſollicitat locupletum turba procorum,
Florida quam multas Hybla tuetur apes.
Ecce dies genialis adeſt, inſtructa tapætis,
Aulæiſq; domus regia tota nitet.
Accelerat cinctus uiridanti tempora myrto
Nimpharumq; chorus, laurigeriq; proci.
Dum phrygios lydoſq; modos, uaſta atria circum
Turba effuſa canit luxurioſa proci.
Dumq; leues ducit cantu modulante choræas
Omnis & in numeros brachia cœtus agit.
Ecce tibi media cantat funebria nocte
Carmina, quæ Chriſtū mortem obijſſe ſonāt
Aurea penſilibus radiant laquearia lijchnis,
Quando tenebroſo fletq; gemitq; loco.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Stat lachrymans guttiſq; humectat grandibus ora
Perq; ſinus lachrymæ fluminis inſtar eunt.
Dum marcent epulis atq; inter uina choroſq;
Perſultant famulæ, luget & orat hera.
Omnia tuta putans, iuuenis procliue mariti
Plus ſatis in luxus ſenſijt ingenium
Mox implorat opem, Chriſtumq; in uota fatigat,
Spiritu & eſſe ſimul corpore ſancta queat.
Adiungens longis precibus ieiunia longa,
Nocturnis ſeſe macerat excubijs
Omni quo licuit ſtudio ſe munijt uſq;,
Ne procul inceſtus polluit æſtus eam.
Vt iuueni primum uirgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas.
Heu quid agat iuuenem quo tandē ambire furētem
Audeat affatu? & quo arceat eloquio?
Legittimo ecce thoro genialibus abdita fulcris,
Laſciuum blando ſic monet ore uirum.
Luce magis dilecte mihi ſuauiſsime ſponſe
In Chriſto, ſpes, mel delitiæq; meæ.
Inportuna tibi uideor quod rapta recuſem
Oſcula, quodq; grauer labra labro apprime
Et cupidas frenare manus, teneriſq; papillis (re
Admotos digitos grauiter eximere
Quod iuuenis iuueni blande tentata repugnem
Quod mihi conceſſas horream & illecebras
Non tibi, ſed Chriſto cupiam quod bella uideri,
Nam mundo & Chriſto nemo placere poteſt

Impediar licet ingenuo retraharq́; pudore
Dicere dicendum eſt,(ſed uenia eſto)tamen,
Quodq́; tibi dicam lapidi nec dicere credam,
Aut in aquam leuibus ſcribere arundinibus
Ecquis te iuuenum confidentiſſime noſtros
Abdidit in thalamos? & quis & occuluit?
Fare age quid uenias,iā iſtinc & cōprime greſſum
Nullæ hic blanditiæ,nulla ue luxuries
Dic quæſo me ne attactus perferre uiriles
Poſſe putas,cui grata ita uirginitas
Eſto uelim certe non poſſum nubere cuiquam,
O mihi chare niſi cui data prima fides.
Virginitatis amans datus eſt cuſtoſq́; comeſq́;
Angelus,hic ſemper ſtrennuus ultor adeſt
Semper ab inſidijs animum corpuſq́; tuetur
Quo nullus nobis auſpice terror erit
Omnipotens genitor tantum me præſide dignam
Ducis & angelico uis fruar alloquio?
Excepto quod non tecum ſim cætera læta
Nil me preterea quod iuuat inuenies.
Hoc ego pronubo caſtum ſeruare cubile
Iam pridem ſtatui nec ſtatuiſſe pudet
Non hoc a nobis inuentum prodit,& olim
Legitimo iuncti continuere thoro.
Quorum erat,(ut reliquos taceamus)Alexius ille
Malchus Amos Vandon Vrſulæ iteq́; phalāx
Hunc mihi cœleſtis tulit arra bona mariti
Addixiq́; meam cui ſemel ecce fidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Hanc mihi religio eſt quouis uiolare procante
Riuales ullos nec ſinit eſſe ſibi
Huic uni poteram forſan ſuccumbere culpæ
Naturæq́; ſequi ſemina prona meæ.
Ni mea ſic caſtæ rapuiſſent pectora flemmæ
Vt face ſuccendi nullius inde queam
Sic cultus, ſic formoſus, ſic deniq; diues
Hũc ego qua ſponſum linquere fronte queã?
Nec ſatis eſt uidiſſe ſemel, iuuat uſq́; morari,
Quo magis intueor hoc magis extimulor
O dilecte mihi tua ſum, tua dicar oportet
Aeternum æterno perfruitura thoro.
Quiſquis in amplexus hoc ſpectatore pudendos
Irruerit, gladio hunc uindice confodiet
Quiſquis et impuris manibus comprenderit, idem
Diductas referet protinus ille manus
Quiſquis uirgineam tentarit ſoluere zonam
Dependet pœnas non ſine morte graueis
Quiſquis & hoc ſpurco uitiarit corpus amore
Sentiet ultrices ſentiet ille manus
Inceſtu ſi quis ueſtalem polluit olim
Deditus eſt noxæ flagitiumq́; tulit
Et quiſquam poſthac caſtam Chriſtoq́; dicatam
Inceſtans capitis ſupplicium effugiet?
Non ideo iunctis inij comnubia dextris
Quo ſemel intereat læſa pudicitia
Aſt ut uterq; fidem tandem aſtringamur in unã
Fraternis animis ſimus & unanimes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Quod tibi p ſanctos auſim iurare hymenæos,
Per non lædendi fœdera coniugij.
Me calor Aetnæus feriat, mihi plena ueneno
Occurrat ſerpens ſi tibi uerba damus.
Deuorer ante precor ſubito telluris hiatu,
Aut rutilo miſsi fulminis igne cremer,
Quam mihi uirginei diſrumpat clauſtra pudoris
Aut ſuſcepta deo uota quis excutiat.
Tu tibi proſpicito uiridem ne perde iuuentam,
Non impune feres ſi uiolare uoles.
Quamlibet arcanum fuerit quodcumq; patraris,
Haud neſcis illud poſſe latere diu.
Quod ſi tu caſto mecum ſocieris amore
Ex æquo faciet quæ tibi cuncta mihi.
Ante expectatum aderit, multaq; uidendum
Se tibi luce dabit, plurima dona ferens.
Hæc ubi dicta dedit rapidus deferbuit æſtus.
Qui calor Aetnæo non minor igne fuit.
Colloquijsq; pijs, rapidus reſtinguitur ignis,
Flamma recens multa ſparſa reſedit aqua,
In ſomnis uox illa hijs eſt extracta loquelis,
Quas habuit tenebras, luce ſequente, uidet.
Conſulit urbanum cryptis ſpecubuſq; latentem
Veſtiget, ſacro quo lauet amne caput.
Quo tincto dixit deus Optime Maxime ſume
Quos operoſa fauos dat tibi Cæcilia.
Quas tibi Romani uernis de floribus horti
Carptas mellis opes Attica ponit apis

Vt bona fertilibus commiſit ſemina ſulcis,
Sic & letitiæ dulcia grana metit.
Hinc uelut abſterſa candens rubigine ferrum,
Elutis ſacro ſordibus amne redit.
Vtq; repurgatum rutilat fornacibus aurum,
Quod Scoriam rapido liquit in igne rudem
Vt poſitis nouus exuuijs nitet uſque iuuenta,
Quotquot erant ultro mox patuere fores.
Quem ſimul ac Chriſti perculſum ſenſit amore,
Mox caſto caſtum baſiat ore uirum.
Aemula purpurei fert uerna roſaria floris
Angelus, & miro complet odore domum.
Aureolam uario contextam flore coronam
Vt capiti impliciut, annulum utriq; dedit.
Mox roſa, mox uiolæ, mox dulcis amaracus ornat
Omne pauimentum uerſicolorq; ſolum.
Iunctæ hæderæ uiolis, myrtus ſubtexta liguſtris,
Alba uerecundis lilia miſta roſis,
Fundit inexhauſtos cito decolor Indus odores,
Et fluit aßyrio ſparſa liquore coma.
Serta nouo dantur ſponſo, calathiq; roſarum
Aeris cum Boreæ frigore ſæuit hyems.
Sponſe quod optanti Diuum promittere nemo
Auſit, an angelicũ hoc fert modo præſidiũ?
Ille Dei donis & tanto lætus honore
Expleri nequit ac præ nouitate ſtupet,
Demirans interq; manus & brachia uerſans,
Contra Cæcaliæ talia commemorat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Non tua maiorum contenta eſt gloria fama.
Hoc tuus adijciat ni pudor elogium,
Magna quidem de te ſparſit præconia rumor,
Nulla pudoris item neſcia terra tui eſt.
Nec tibi per totam Romam, nec ſolis ab ortu.
Inter uirgineos ulla ſecunda choros.
Credis & hoc nobis minor eſt tua gloria uero,
Deq́; pudore tuo fama maligna palam eſt.
Cætera quam radians præcellit Lucifer aſtra,
Virtutes reliquas tam pudor exuperat.
Tu modo ſola places nec te præter in urbe
Immo orbe eſt, oculis ulla pudica meis
Reſponſura tuo nunquam par fama pudori,
Terra ſat é fructu quam ſit amœna docet.
Et iam deficiens ſic ad tua uerba reuixit,
Vt ſolet infuſo uena redire mero.
Germanus uiridi florens Tiburtius æuo
Accipit inſolito captus odore fidem.
Verna recens contexta pio donantur ephebo
Serta, quibus flauas contegit ille comas.
Firmatis animis hauſto uitæq́; futuræ
Guſtu, cæleſtis mox paranymphus abit
Sic patre, ſic patruo, ſic impulſore marito,
Veſtimenta foris fert prætioſa ſatis.
Clam patre, clam patruo, clam coniuge nudam
Villos atq́; pilos ſubligat uſq; autem
Ambo florentes ætatibus, ambo potentes
Sponte diuitiatis abſtinuere bonis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Nec melius teneræ iunguntur uitibus ulmi
Nec plus lotus aquas, littora myrtus amat
Impius Almachius rapida deſæuijt ira.
Quotquot erant Chriſti mox iugulare parã:
Nobilitas cum plebe perit, paßimq́; tyrannus
Mactat, & a nullo temperat ira ferox.
Sublimeſq; cohors raptos lictoria fratres
Conijcit in tenebras, compendibuſq; premit.
Afflictos uitam in tenebris luctuq́; trahentes
Innocuos ſæuo ſuſtulit enſe uiros.
Cuius ſupplicio non debuit una parari
Simia, non unus culeus, unaue hydra.
Sæpe quidem multos ſeruat fortuna nocentes,
Multum iraſcuntur numina ſæpe quibus
Maximus accepto baptiſmate, colla ſecuri
Prebet, & exemplum non leue ſuppeditat.
Haud mora feſtinant iußi rapidiſq́; feruntur
Paßibus inſtantem præcipitantq; necem.
Quos nõ mœſta domus. quos non reuocare parẽte
Non potuit fuſis blanda uirago comis
Detruncata pij rapuere cadauera noctu
Raptaq; clam ſacris impoſuere locis
Mox a cæde domum rediens bibit amplius æquo;
Iamq́; calens uino Cæciliã aggreditur
Ecce trahebatur paßis generoſa uirago
Crinibus a thalamo quo ſtetit uſq; precans.
Præſcia uenturæ mortis ſtragiſq; futuræ
Armabat precibus ſeq; ſuoſq; domi.

Carmina iam moriens canit exequilia cygnus,
Funebre iam morti proxima uirgo canit
Nocte intempeſta uulgi ſpectante corona,
Effractis foribus ſiſtitur Almachio.
Propudioſa uelut meretrix traducitur, ut quæ
Prodactis opibus ſe quoq; poſtituat.
Romanæq; deos omnes faſtidiat urbis
Et iuuenes magica faſcinet arte rudes.
Ad cœlum tendens ardentia lumina ſupplex,
Arcebant teneras uincula namq; manus.
Aſt ſimul inſano captum deprehendit amore
Ac animum ad ſe tunc Almachium adijcere
Indignata trucis uultum ſpectare tyranni
Exerit ad ſummum lumina mœſta deum.
Thura recuſantem Martiq; Iouiq; litare.
Nequicquam feruenti excruciabat aqua.
Virgea ſuggeritur coſtis undantis aheni
Flamma, perhorrendo ſæpe coacta ſono.
Exultantq; æſtu latices furit intus aquæ uis,
Exuperat ſpumis fumidus amnis item.
Nec iam ſe capit unda uolat uapor ater ad auras.
Fax tibi nulla tamem nec nocet ignis edax.
Hoc ubi circumſtans dextra læuaq; corona
Vidit prodigium, ſtat ſtupefacta nimis.
Continuo plus ſexcentis ſe dedere morti
Collaq; feſtinant trahere carnifici.
Tanto Romani maduere ſanguine muri,
A quo fonte uelut manat adaucta fides.

Poſtquã uirgineũ tandem caput enſe reuulſum eſt,
Corpus adhuc madidum ſanguine nocte tegũt
Quos fuſos ceruix accepit lactea crines,
Vndiq́; nunc roſeo tincta cruore madet.
Qualis ubi Oceani percuſſus Lucifer unda.
Quem nimis ante alia diligit aſtra Venus
Extulit os ſacrum cælo tenebraſq́; reſoluit,
Tali extincta nitet lumine Cæcilia.
Ac ueluti niuei liquida inter nubila cygni.
E paſtu cum ſe iam retulere domum.
Continuo per longa modos dant colla canores.
Vndiq́; pulſa palus undiq; & unda ſonat.
Sic ubi uirgineus cœleſti ſpiritus aura
Veſcitur, angelici concinuere chori.
Cæciliam ſonat omne ſolum, ſonat aurea cœli
Regia, qua fruitur nunc ſine fine Deo.

Accõmodatio uitæ Cæcilianæ uice expoſtulationis ꝑ antitheta dictata, idq́; iuniorũ exercẽdorũ gratia.

FOemina digna illis quos aurea cõdidit ætas
Principibus natis, principe digna uiro,
Delitias & opes, & honores, regna, parentes
Quin uitã Chriſti ſpreuit amore lubens.
Te leuis ambitio, perfuſaq́; gloria fuco
Sordiduliq́; lucri copia ſollicitat.
Quod potuit mulier, adeoq; tenerrima uirgo
pulchra, perita, potens, nobilis, ingenua.
Tu uir, tu myſtes, tu dux, tu deniq; paſtor,
Non utcumq́; feres? (Dij meliora) feres.

Hæc tota ingenua eſt ceu pectas ſtemmata, ſiue
Mores, ingenium, diuitias, & opes,
Tu quantus quantus (liceat modo dicere uerum)
Sordibus & ſordent qualiacunq; facis.
Indole ſpectata generi reſpondet auito,
Tu nimia patrio ſtemmate degeneras.
Illa etiam genere, atq; opibus, uirtute ſtupenda
Quoilibet alloquitur, cuilibet auxilio eſt.
Tu neq; diuitijs, nec auis, nec ſtemmate clarus.
Quem non faſtidis, negligis, obloqueris?
Hanc ſimul Vrbanus ſacro ſacer abluit amne.
Mox ſuſcepta deo reddere uota ſtudet.
Te quod conceptis uerbis baptiſmate ſponde.
Illinc digreſſum non meminiſſe uacat.
Totus es impurus quanquam baptiſmate lotus,
Vt canis ad uomitum ſusq; reuerſa lutum.
Abiuras Satanam cum pompis, cumq; paratu,
Cumq; ſuo mundo, nequitijsq; ſuis.
Nil tua uota morans ſequeris Cacodæmona Chriſti
Hoſtem, deſciſcens a ducis imperio.
Hæc pietatis iter teneros ingreßa per annos
Decurſo ſpatio præmia digna tulit.
Tu ne inſtante quidem ſenio, mortiq; propinquus
Inſeruire pares ſuſtineaſue deo.
Mollibus indormis plumis, ſtertiſq; profundum.
Securus mortis iudicijq; Dei
Sat tempeſtiuum credis iam morte propinqua
Scintillis fidei corda alere parum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Chriſtum mente gerit, Chriſtum præcordia ructant

Chriſtum cor ſpirat, tu mera uina crepas.

Illa gynæceo & thalamo lacrymatur & orat,

Tu totos garris per ſacra templa dies.

Garrula fœminij fugiens conſortia ſexus,

Incumbens ſtudio deſidet uſq; domi,

Lucubrat ad multam nocte ſacra Biblia uerſans,

Verſando excußit, calluit, edidicit.

Te iucundæ iuuant tractæ per pocula noctes.

E quibus exugis quod tibi mentis adeſt.

Et licet ad populum phaleras uideâre peritus,

Non tibi plus cordis ſed minus oris adeſt.

Illa Euangelium ſemper uiuitq; crepatq;,

Tu præter nugas nil bene deblateras.

Illa uirum leuirumq; ſuum reſipiſcere fecit

Salſos, inſulſos ridiculoſq; facis.

Tu magis inſipidus beta, crambeq; recocta,

Illa mero ſpirat myſtica miſta ſale.

Illa canens alijs caſte gratiſq; canebat

Tu tibi tam uiuis quam canis, idq; lucro.

Illa Dei caſto præconia prædicat ore,

Funeſtis ructas funebre turpe labris

Afflicta in tenebris uitam luctuq; trahebat,

Tu quoq; delitijs affluis omnigenis.

Illius attenuant uigilatæ corpora noctes,

Membraq; ſunt cæra pallidiora noua

Tu marces epulis atq; inter uina choroſq;

Perſultans curas nocte dieq; cutem.

Hæc iuuenis iuueni blande tentata repugnat.
Tu cuculus uetitas expetis illecebras
Illa pudicitia ſponſi reſtinguit amorem, &
Semina nequitiæ languidiora facit.
Tu quoq; laſciuis oculorum nutibus, atq;
Obſcœnis inhias undiq; colloquijs.
Illa diu caſte uixit ſociata marito
Sponte ſtudens placidis abſtinuiſſe bonis.
Lubricæ & ætati ſatis omnia tuta timebat
Tu flammis oleum ſubijcis atq; faces.
Illa cilicæo teneros conſtringit amictu
Artus, & ſpurcas edomat illecebras.
Te tot proritant mulctitia, totq; fouendæ
Nutrimenta cutis mollia ſollicitant.
Illa humiles habitare caſas, latitareq; gaudet,
Tu ſtruis ampla tuis atria delitijs
Tollere humo uictorq; uirum uolitare per ora,
Qua poßis tentas te quoq; mille uias
Illa ſuſurrones ex ædibus exigit, illa
Et ſtudioſa cutis mancipia exagitat,
Tu delatores, quando non protinus arces
Irritas, & aliſſegne ſodalitium.
Illa preci ſtudium, ſtudio ieiunia iunxit.
Tu male ieiunas, peius itemq; ſtudes.
Dædalo & ingenioſior illa, & acutula tota
Aſt tibi piſtillo obtuſius ingenium eſt.
Aſperiorq; Schyta, præfactior esq; Catone
Illa humana fuit, comis & expoſita.

Et uocalis erat tu rauco murmure ſtridens
Neſcio ceu cuculus quid nemorale ſonas.
Illaq́; uocalem ſuperauit Aedona uoce
Aſt tibi cum coruis conuenit egregie,
Tu coccyx illa Euterpe condinnior, illa
Iro pauperior, tu uelut alteter Arabs
Illa Tyrannorum ſpernit uultusq́; minaſq́;,
Te leuis occidit terror & excruciat.
Illa ſui bene prodiga ſanguinis, omnibus ultro
Affuit, aſt uni tu tibi ſemper ades
Illa nec hortatu, nec amicis excita uerbis,
Proruit in mortem martyriumq́; ſitit.
Valerianus ad hæc frater Tyburtius, una
Martyrio dedunt ſe, duce Cæcilia.
Et te nulla mouent exempla domeſtica ſaxum,
Quo te cunq́; uocant mox alio ire paras.
Illa ſat ampla ſacrā ſpargit patrimonia in ædem.
Tu deridiculis prodigis ædiculis.
Hoſtia pauperibus, granaria claudis egenis,
Tradiderit ſoli hæc ceu tibi cuncta Deus
Veſtibus innumeris deſudas, horret egenus
Frigore, cur inopem teq́; calore necas?
Cui bona multa Deus conceßit plura requiret.
Ni bene diſpenſet quas male condit opes.
Illa ſuis opibus parta ſibi laude triumphat.
Stulticiæ teſtes colligis inde tuæ.
Vis ſimul amiſſam rurſus coaleſcere famam.
Ingenuis cultam moribus exprimito.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Si nulla accendit tantarum gloria rerum
At metue æternum quod manet opprobrium.

ALARDVS AMSTELRELREdamus Victori Cauteri. S. D.

Accipe mi Victor tyrocinia noſtra, & inter ea cum primis monomachiam, non uirilē quidem, hoc eſt, Hectoris ac Aiacis, qualē graphice depinxit Homerus, aut Turni & Aeneæ, qualem Vergilius quoq; mira quadam Hypotijpoſi ſub oculos poſuit, uerum Pluſquam puerilem, ut pote olim à me perquam adoleſcente tumultuarie congeſtam & iam nunc a pueris tuis non inferioribus literis quam moribus, uice puerilis luſus, proximis hiſce Bacchanalibus exhibendā, Idq; ob ſingularem uictoriam Ioānis Ceralis cognomento Vuaſſenaer a Phriſijs recēs partā propter quā tu, ut ſi quis alius impenſiſsime tripudias, Bene ualebis, atq; hoc ſcias uelim, tantam tibi nunc dari occaſionem, quantā fortaſſe numquam dabitur. Proinde tentanda eſt uia qua te quoq; poſsis tollere humo, Victorq; uirum uolitare per ora. Aemſtelredami è Phrontiſterio noſtro.

Alardi Aemſtelredami ſyluula cui titulus Tyrocinia.

❡MONOMACHIA DAVIDIS ET Goliath. i. Re. xVij.

CVm ros in tenera pecori gratiſsimus herba
 Præuius aurore & lucifer exoritur (eſt
Et iam lætus oues in paſca læta coactas.
 Paſtor ab occultis aſſerit inſidijs
Ecce furens animo magna ſe mole ferebat
 E tectis, medio conſpiciendus agro.
Obliqua inuidia ſtimuliſq; agitatus amaris,
 Dentibus infrendens ſpurius egreditur
Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine uenæ,
 Lumina Gorgoneo ſæuius angue micant.
Haud ſecus exardet quam circo taurus aperto
 Irritatores cum petit ille ſuos.
Sed neq; fuluus aper media tam ſæuus in ira eſt,
 Fulmineo rabidos dum rotat ore canes.
Ingentem quercum deciſcis undiq; ramis,
 Correptam in manibus non ſine mole trahit
Vt iaculum magnum magna amentauit habena
 Se rotat in gyros, emicat, erigitur.
Ingrediturq; ſolo & caput inter nubila condit
 Centimanum dicas hunc ſuperare Gygem
Et pedes incedens humeris ſuperminet omnes
 Largus procera nam dedit oſſa pater
Vt primum potuit celſo de colle uideri
 Prænitidis armis undiq; conſpicuus
Mox magnos mēbrorū artus magna oſsa, lacertos
 Exerit oſtentans quam ſit ubiq; ualens (q;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Sex minime cubitos altus, caput ærea nubit
Caßis, thoraces ſquamei utrimq; tegunt
Quadruplicá galea criſta ſetiſq; ſuperbit
Aeramentorum fertur in aſtra ſonus.
Aereus et triplicá clypeus ſuperadditus orbi
Aerea & ampla nimis lamina crura tegit
Aereolis ingens bullis radiabat & enſis
Enſis utrimq; ſecans, enſis utrimq; necans.
Liniatuſq; genu ſinuoſus fortiter arcus
A tergo pendet non ſine mißilibus
Vt Liciatorium texentum haſtile gerebat
Quem præcedebat grandia ſcuta ferens.
Aerea conquaßans immanibus arma lacertis,
Centum longa pedes tela ſubinde uibrat.
Nec leuius laterum tabulæ feriuntur ab undis
Quam graue loricæ corpora quaſſat onus.
Nec tam grande ſonat motus incudibus Aetnæ,
Cum Brontes cædit, cum Steropeſq; ferit
Infremit, atq; animo ſpem turbidus haurit inanem
Nec ſua iam uentos gaudia ferre uidet.
Et nunc ille quidem ſpe multum captus inani
Præ ſe faſtidit quemlibet allophylon
Irritat Dauid telis & uoce laceſſit,
Ante tubam exultans uictor inanis ouat.
Inflammatq; animum dictis atq; aggerit iras
Ceu puerum credens exanimare minis
Tum quaſſans caput, hæc effudit pectore uerba
Heu ſtirpẽ inuiſam progeniẽ Allophilũm

Maior ſum, quam cui poßit Iudæa nocere
Gens, inimica mihi nec ſupereße ſinam.
Nil ita ſublime eſt, ſupraq; pericula tendit,
Non ſit ut inferius ſuppoſitumq́; mihi.
Iam teſtudo uolat, profert iam cornua uultur,
Inceßitq́; Iouis iam ſcarabæus auem.
Ante lupos rapient hœdi, uituliq; leones,
Quam male formidet uir pueri inſidias.
Immani tantus fauces diducis hiatu.
Quantaq́; non fornax quælibet hiſcat item.
Ore nimis nigro, terresq́; propinquus hiatu
Crine ruber bellax qui potis eſſe puer?
Qua te ſtultitia quoniam non eſt genus unum
Inſanire putem, dic mihi crine ruber.
Sed quid opus multis, quanto dux milite maior.
Tam Golias Dauid uincat homunciolum.
Quam præcellit oues paſtor, quantoq; gigantes,
Pigmæos ſuperant tanto ego te ſupero,
Quo moriture ruis? maioraq; uiribus audes,
Inq́; tuum quo te proripis exitium?
Infelix, cui te exitio fortuna reſeruat
Armatum totum totus inermis adis?
Infelix quæ tanta animum dementia cœpit?
Quin fugis hinc præceps dū licet aufugere?
Huc rubicunde puer, facieq́; decóre uenito,
Quo mox terra tuo ſanguine luxuriet.
Siccine tu galea, clypeo nudatus & haſta
Cum baculo & ſaxis huc male ſane uenis?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Quantum conijcio rabidum puer improbe, tu me
Eſſe canem credis, credis & eſſe lupum.
Scilicet huc furijs te nunc agitantibus offers,
Regia quo ſatures quos alit aula canes.
Principio paulum aſpectu conterritus hæſit.
Attonitusq; ſtetit, continuitq; gradum.
Tum pudor incendit uires & conſcia uirtus
Ingentes animos corpore in exiguo
Degeneres trepidant animi, peioraq; uerſant,
At nihil aduerſi mens generoſa timet.
Deniq; non paruas animo uictoria uires
Parta, faceſq; addit glória nacta prius.
Talibus & dictis it contra dicta proterui
Quippe notha geniti de genitrice nothi
Ne facito ſurdis conuitia fluctibus ulla
Hocce uiri minime eſt, ſed mulieris opus.
Ne male traducas, quantum traducere lædit,
Exemplum Gholiath non leue ſtratus erit.
Nil maledicta moror. nil me tua feruida terrent
Dicta quibus pauidas forte fugabis oues
Impetere opprobrijs, inimicaq; dicere uerba
Perfacile eſt, ſed re uincere difficile.
Nec ſæuis dictis me protelaueris unquam,
Collatis ſignis quum tibi congrediar.
Incipe, ſi qua animo uirtus & conſere dextram,
Audendum dextra res uocat ipſa modo,
Experiare licet, quid poſſit uiuida uirtus
Diuinumq; manus quam iuuat auxilium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Numq̃; hodie effugies, ueniam quocumq̃; uocaris,
Corpore non magno uulnera magna dabo
Efficiam poſt hac ne quemquam uoce laceſſas,
Huius & efficiam te meminiſſe loci
Conculcabo tibi caput ac immania membra &
Linguam exertam auidis mox dabo uulturijs
Quin caput é noſtra citius ceruice recedat.
Et patiar foßis lumen abire genis,
Quam te ſic impune ſinam conuellere regnum.
Et quod Ieſſæum uendico ſtemma mihi.
Quæ rapida in noſtram iactas conuitia gentem
In iugulum cernes illa redire tuum
Quantis armati cœlum petiere gygantes
Præſidijs, pectus tu tot inerme petis.
Defenſare licet uim uiq; repellere, fas eſt.
Armáq; in armatos ſumere iura ſinunt.
Inuadis coram petulanter & inuehis audax
Non impune diu luſeris immeritum.
Hoſtis acerbe quid increpitas, mortéq; minaris,
Ecquid & hoſtili me petis exitio?
Auſpicio ductúq; patris cœleſtis, inani
Elatum plauſu te cito conficiam.
Quo duce nil dubitem uel mille occurre monſtris
Mille philiſteos, mille ferire nothos.
Egredere o quicumq; es, ait, quantumq̃; ſuperne
Inferneq́; armis tectus es egredere.
Egredere inquam terrorum & iactantiæ abūde eſt
Sæpe latrans mordax non ſolet eſſe canis.

Ne uero me me ad tales impellito pugnas.
Exitus iſte tibi non ſat honeſtus erit.
Sed bene habet ꝙ ſanguis adhuc florente iuuenta
Integer incaleat, laudis amorq́; trahat.
Siq́; tuum Deus eſt miſereri, aut ſi quibus unquam
Extrema iam ipſa morte tuliſti & opem.
Me miſerum aſpicito, & ſi uitam puriter egi,
Eripito hanc peſtem perniciemq́; mihi.
Horrendum, & dictu uideo mirabile monſtrum,
Quo cum luctari nunc ego percupio
Vosq́; Philiſtæi ſtolido huic ne credite monſtro
Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.
Eſt aliqua elato faſtū exprobrare uoluptas
Te debellari te quoq́; poße puta
Ingentiq́; grues paruis clangore colonis
Ludicra Pygmæis bella mouere ſolent.
Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore notus
Expers terroris mox tibi congrediar.
Exiguus membris, bello ſed uiuida uirtus,
Maius in exiguo corpore robur adeſt
Nec ueni niſi fata modumq́; uiamq́; dedißent
Iniußuq́; mei nil ducis efficiam
Nulla mora in me me, nihil eſt ꝙ bella recuſem,
Quī tu progrederis precipitaſq́; moras? (tas
Quæ nūc deīde mora eſt, aut quidiā ignaue retrec
Quo diuerſus abis? huc age flecte gradum.
Aereus horriſonis quanquam ſonat ictibus umbo.
Obuallantq́; tuas ærea tela manus.

Non mihi ſunt teretes haſtæ, clypeiue rotundi.
Non lorica mihi, non galea ulla mihi,
Quæ me cumq́; Saul ualidiſsimus induit arma
Oĩa ſũt humeris hæc grauiora meis.
Non tamen idcirco bellum detracto futurum.
Hoc confido magis, quo minus auxilij eſt.
Quãdo Deum ſupplex non caſſa in uota uocarim,
Non ſunt hæc digitis arma tenenda meis.
Et bellare manu, & tecum confligere coram
Sponte animus gliſcat precipitantq́; pedes.
Et ſolus ferro bellum commune ſecabo.
Quam acer eſt frictus, tam caput inminuam
Quis finis fandi: quo nos decet uſq́; teneri?
Iam dudum tecum geſtio congredier.
Quem nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
Sed magis obturbas, ledis, & obſtrepitas.
Accelera & tete, ſi quis modus, eripe morti
Et dicto citius gnauiter aduolitat.
Geſtamen ſolitum, baculum ſuſcepit acernum,
Paſtorale pedum, quo procul urget oues.
Quinq́; ſimul leues rapido è torrente lapillos
Abdidit in peram, quam lateri agglomerat.
Solamenq́; mali de collo fiſtula pendet,
Qua pecus educat, quaq́; reducit idem.
Induerat thoraca humeris galeamq́; minuto
Aptarat capiti, rege iubente Dauid
Arma ferens iam uix magna ſe mole ferebat
Non aſſueuit enim talia ferre iuga.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Quo mihi tanta arma? quādo furor arma miniſtrat.
　　Quælibet infirmas adiuuat ira manus.
Suppara nudatos cingunt anguſta lacertos,
　　Armatura leuis nec premit ulla uirum.
Stantq́; metu turmæ mutæ, mußantq́; cohortes,
　　Quis populo imperitet? quemue ſequātur itē.
Atq́; iram tacitus ſimulans, ſimulanſq; dolorem,
　　It meditabundus, lentus & ingreditur.
Aſt ubi non longis inter ſe paßibus abſunt,
　　Iamq́; dato ſigno claßica utrinq́; canunt.
En fundam tereti circum caput egit habena,
　　In caput impegit præcipitemq́; dedit.
Conatusq́; ingens uagina educere ferrum,
　　Aſtrictum ſubita ſenſijt eße nece
Dixerat ille aliquid magni, uimq; affore uerbo
　　Credidit, aſt ſubito ſternitur (ecce) ſolo.
Excußusq́; iugo moribundus uoluitur aruis.
　　Ictaq; ſubſedit pondere molis humus.
Sternitur infelix iuuenili uulnere, cœlumq́;
　　Aſpicit, atq; ſolens turgida uerba crepat.
Fit ſonitus fugere feræ, fugere uolucres,
　　Fugit & aßiſtens undiq́; turba duci.
Pallidus attonitos ad plena mapalia paſtor
　　Mox reuocat tauros & ſine mente pecus.
Proſpera ubi fauſto commiſſa eſt omine pugna.
　　Mox immane ſuo diſcidit enſe caput.
Vt caput auulſum eſt Goliæ, truncumq́; reliquit
　　Sanguine lapſantem, terra cruore madet.

Olli dura quies oculos et ferreus urget
Somnus, in æternum dormit & uſq; diem.
Iſthic nunc metuende iaces mox certa futurus
Præda lupis, coruis alitibuſue feris.
Sic Deus â tergo ſequitur, uictorq; ſuperbos
Excipit indignis quos meruere modis.
Crede mihi elatos ſapientia prima relinquit,
Fidentesq́; ſuis uiribus intereunt.
Qualis ab agreſtum nocturna ſtrage luporum
Lætus abit paſtor, plaudit & omne pecus.
Haud aliter pſallens uicto diuertit ab hoſte.
Exultatq́; nouis quæ tulit exuuijs.
Vndiq; concurrunt reges plauſuq́; ſecundo
Circueunt hilares concelebrantq́; ducem.
Nec non & proceres, quæ cuiq́; eſt copia læti,
Dona ferunt, uictus quod iacet hoſtis, ei
Accurrunt nymphæ lætum pæana canentes.
Victorem in cœlum laudibus uſq; uehunt.
Et paſtorales ſimul acceſſere cateruæ
Admirabundæq́; obſtupuere diu.
Agreſtiq́; ſuas rimantur carmine ſiluas
Gaudentes talem progenuiſſe caſas,
Continuo in patrios ſe exercitus abdidit agros
Bella ſuum finem cum iacet hoſtis habent.

FINIS.

¶ In lilia Francorum & Leones Burgundicos.

Tres ſi tenelli floſculi   Sæuos Leones uicerint
Natura curſum uerterit   Et Mars Napeæ ceſſerit.

¶De quadruplice Cruce Iambicum timetrum.

Crux quadruplex eſt una Chriſti, una Andreæ,
Hanc Pontifex, & hanc gerit Burgundio.
Latronis una dexteri, leui altera,
Fert alteram Francus, Britannus alteram.
Hinc hinc origo prodijt mali,
Hæc Anglicisq; Gallicisq; mutui
Cauſa eſt odi, Crucem ſiniſtri ſcilicet
Neuter ſuam, aſt uterq; dextri uult ſuam,
Illo tamen num differunt diſcrimine,
Gens Angla rubram, Galla candidam facit.

¶Errata

A. I. faciē. ij. pro ingrediuntur lege ingeruntur Ibidem pro Hinc q. Siue q. A. ij. fa. i. diſpunge, celebranturq;. Ibidem pornoboſcijs. A. iiij. fa. ij. Leuia ut infra: liquido cæro leuior amne. A. Viij. fa i. atq; aduerſos Ibidē diſpunge prius ¶Vel uiſit to) Verg. in Palæmone & quæ ſequuntur inſertu enda ſunt ante, poſterius ¶Vel uiſito) Ibidem fa. ij. uaſta. paſtorē. Expilatq; genis. B. ij. fa. i. ἀγλαό μορφοσ Ibidem a muliere compta. B. iij. fa. ij. pro ſat lege Ea. B. iiij. fa. i. omiſſū eſt Ariſtotelis Polit. li. Viij. c. xxxViij. Cum uero dicere quicquā turpe interdiximus clarū eſt, quia & aſpicere aut pictu ras aut actus deformes prohibemus. B. Vi. fa. i. cū in ea inatat imitari B. Vij. fa. ij. Sillius Ibidem Eſt oculus præceps animi uia. B. Viij. fa, i. omitte Hæc ille. Ibidē Heſpere qui C. i. fa. i. Quo diſpunge Ibi

dem fa.ij. Vide ut Ibidem pẽnasq; cient C.ij.fa.i.
redundat ut S a Ibidem Denuq; ſi qua C.iiij.fa.ij.
nitidiſsimos C.V.fa.ij.ſeruijt C.Vi.fa.ij.ablatum
C.Vij.fa.ij.fulſere.D.ij.fa.i.pro officio lege arti
fice Ibidem Ceſareoq;.D.iiij.fa.i.patrijs D.Vi fa.
i.recondito Ibidem pro purum lege putum D.Vij.
fa.ij.crinem uittis D.Viij.fa.i.attractis Ibidem fa
ij.extructis:E.i.fa.ij.per tela E.iij.fa.i.uitiatis Ibi
dem fa.ij.Idolopœia E.iiij.fa.ij.in ipſo ſtatim ex
ordio diſpunge O ante Clara poſitum Ibidem pati
entia E.V.fa.ij.pro friſium lege fuſum E.Vij.fa.
i.accipit E.Viij.fa.ij.non potuiſſet F.iij.fa.i.diſpũ
ge cum.Ibidem fa.ij,pro quæ qui.F.iiij.fa.i,decer
peretur Ibidem Theodoritus Ibidem pro.lui.Lib.
ij.Ibidem fa.ij.pro enim cum Ibidem quâdrigam.
F.Vi.fa.ij.in calce Seq;ſuper.F.Vij.fa.i.dũ uehit
Item monte quod Ibidem fa.ij.polluat F.Viij.fa.
i.tanton Ibidem fa.ij.ſentiet.G.i.fa.i.nox illa Ibidẽ
fa.ij.Acris G.ij.fa.i.places mihi nec Ibidem re
uixi.G.iij.fa.i.exequialia Ibidem faſcinet & pro
trahere lege tradere.Ibidem fa.ij canoros & Cæ
ciliane.G.iiij.fa.i.ſordidus ac mox impurus Ibidẽ
fa.ij.noctem,iucunda,phalerans G.Vi.fa.i.Cãteri
Ibidem quanta G.Vij.fa.i.Lunatusq; genu G.
Viij.fa.ij.mortemq;

¶ EXCVDEBAT Leydis Petrus Balenius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

fol H4 ontbreekt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

34)

en naar
van Balen,

gedrukt zijn
Italiaanse

etter ont-
etter, die
sneller
het eerst in
idt zij zich

Haag.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

34) 90

ERASMUS, Carmen (over het vermijden van het zien naar verleidelijke dingen). Leiden, Peter Claeszoon van Balen, In de Vergulde Zon, 13 Februari 1538.

Een van de vroegste Nederlandse werkjes, die gedrukt zijn in de cursieve letter (een navolging van het Italiaanse lopende schrift).
Naast de romeinse rechtopstaande geschreven letter ontwikkelde zich in Italië de romeinse lopende letter, die zich door haar naar rechts overhellende vorm sneller laat schrijven. Als drukletter verschijnt ze het eerst in Venetië omstreeks 1501-02, en vandaar verspreidt zij zich langs dezelfde weg als "de romein".

Kon. Bibliotheek, den Haag.

Lit.:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
227 G 30